DE IONE.

DISSERTATIO ARCHAEOLOGICA

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI
CONSOCIATA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS

H. XII

DIE XV. MENSIS APRILIS A. MDCCCXVIII

VNA CVM THESIBVS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

RICHARDUS ENGELMANN

SAXO-BORVSSVS.

ADVERSARII ERVNT:

GVIL. KOERNER, DR. PHIL.

KAR. MODRITZKI, STVD. PHIL.

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

MDCCCLXVIII.

VIRO ILLVSTRISSIMO DOCTISSIMO

CAROLO STEINHARTO

PROFESSORI HALENSI

HASCE PRIMITIAS

DEDICAT

AVCTOR.

Fabulam quae de Ione a Iove amata narratur ad antiquissima tempora recedere ex eo elucet, quod iam Homerus eam non ignorat. Nam etsi non diserte ad hanc alludit (Ionis enim nomen frustra apud poetam quaesiveris), tamen quod saepissime [1] Ἀργειφόντου nomine Mercurium ornat, se bene fabulae conscium esse declaravit, cum dubium esse non possit, quin vera sit eorum sententia, qui Argeiphonten dictum putant propter caedem Argi.[2] Accuratiorem vero notitiam Hesiodus prodit,[3] quippe qui non solum in Aegimio (si hujus auctorem, sive Kerkops Milesius fuit sive alius, Hesiodi nomine decorare licet,)[4] sed etiam, ut Kirchhoffius putat,[5] in catalogorum tertio Ionis fata enarraverit. Item scriptores qui λογογράφοι dicuntur saepissime hanc fabulam attigerunt, quippe qui genealogiae inprimis studentes Argivorum regum originem ab Ione ducerent.[6] Multo autem frequentior apud tragicos comicosque poetas obvenit. Notum est, supplices Aeschyli ea de causa ut recipiantur hospitio postulare, quod una maiorum Io Argis oriunda sit, easque tota illius fata ibi narrare. Item in Prometheo vincto poeta effecit, ut Inachis ad Prometheum ad rupem Scythiae adligatum perveniret ibique de erroribus suis edoceretur.[7] Neque a Sophocle haec aliena sunt, qui per unum drama satyricum, Inachum, satis ridicule Ionem eiusque patrem videtur lusisse.[8] Neque Euripides eam sprevit, qui etsi argumentum totius fabulae de ea non sumpsit, saepe tamen ut in Phoenissis eam commemoravit. In quo principes tragici praegressi sunt, in his subsecutos esse posteriores quis miretur? Velut Chaeremonis τοῦ ἀναγνωστικοῦ inter alios titulos etiam Io tragoedia [9] commemoratur, cuius vel unum fragmentum superest (Nauck, trag. Graec. frgm. p. 608.) Et comici quoque eam vel saepius commemorant, ut Aristophanes, vel totum inde argumentum repetunt, id quod de Platone [10] Anaxila [11] Sannyrione [12] traditur. Itemque Alexandrini quique post eos ad scribendum incubuerunt fabulam sive carminibus suis inseruerunt [13] sive pedestri oratione inter

alia narraverunt et explicaverunt.[14] Quid mirum, si Latinos tale argumentum et tragoedia et aliis carminibus aptum non fugit, quorum non solum Virgilium[15] in Aeneide et Ovidium[16] in metamorphoseon libris hanc fabulam sibi arripuisse, ut alios taceam, qui semel tantum Ionis a Iove amatae sive per terras errantis mentionem iniecerunt, sed etiam Attium in tragoedia ex illius nomine appellata[17] agitasse constat? Neque is solus videtur tragicorum tali argumento operam dedisse, siquidem Horatius inter alias suo tempore saepissime prolatas tragoedias etiam I o n e m v a g a m commemorat.[18] Pedestri autem oratione usus qui tales fabulas enarravit Hyginus eam quoque de qua loquimur (fab. 145) adposuit.

Quo magis fabulae tractantur, eo magis permutari augerique solent, id quod nostra quoque perpessa est. Nam ut a genealogia incipiamus, neque de patre neque de matre Ionis scriptoribus aliquid certi constat. Nam cum tragici et omnino plerique eam Inachi filiam esse velint, alii ut Apollodorus Pausanias Iasum eius genitorem esse dicant, Hesiodus vero et Acusilaus a Peirene eam oriundam esse contendant, rursus alii Arestora nominant vel unus Ister Prometheum.[19] Neque una, sed tres eius matres afferuntur, scilicet Argia sive Ismene sive Leucane. Non minus varie reliqua eius fata narrantur, quas varietates singulatim iuxta se positas longum est enarrare. Satisfaciemus igitur proposito nostro, si fabula quam plerique secuti sunt explicata ea quae diverse traduntur in notis obiter apponemus. Neque enim id agimus, ut accuratissime omnibus quae de Ione traduntur perspectis quidque valeant examinatis mythologiam corrigamus, sed potius qualis Io apud veteres picta sit experiri volumus. Quod ut cognoscamus, prius ipsa fabula ut explicetur inque partes suas dividatur necesse est, simulque diiudicandum, quod ab initio ad eam pertinuerit, quod posteriores subiecerint.

Io, secundum plurimos Inachi fluvii filia, sacerdos[20] Iunonis, quam Argis praesertim cultam esse notum est,[21] cum pulchritudine sua aequales suas superaret, Iovis amorem flagrantissimum excitavit. Deperiens igitur illam Iupiter seduxit, ut cupidini satis faceret,[22] sed a Iunone coniuge amores mariti conii-

ciente oppressus ne facinus detegeretur puellam in vaccam mutavit,[23] sive ut alii narrant[24] ipsa Iuno ne sacerdos sua corrumperetur, bovis figura eam induit. Sed ne tum quidem certa, vaccam ab omnibus Iovis insidiis tutam esse, optime enim sibi conscia erat, maritum feminarum humanarum cupidissimum esse,[25] Argum ei custodem apposuit plurimis oculis praeditum, quorum cum pars connivisset, reliqui vigilarent.[26] Is bovem in nemore Iunonis[27] ad oleam adligavit, quae etiam ultimis temporibus extare dicebatur.[28] Cuius facti cum Iovem puderet (propter ipsum enim Io talia perpetiebatur), Mercurio imperavit ut Argi custodiam falleret, feminam sive potius vaccam surriperet.[29] qui patri obsecutus Argum sustulit,[30] illam liberavit. Neque tamen Iunonis ira et invidia item facile superari poterat, quae simul atque Argi necem comperit, oculos eius ne perirent, in cauda avis suae pavonis collocavit,[31] Ioni vero oestrum immisit, ita ut miserrima per terras mariaque uno cursu agitaretur.[32] Quo in itinere etiam in Scythiam[33] ad Prometheum ibi alligatum pervenisse deque fatis suis edocta esse dicitur.[34] Tandem multa terra multoque ponto superato cum in Aegyptum delata esset, Iupiter lenita uxoris ira[35] vaccam manibus suis attigit simulque ut humanam speciem recuperaret filiumque Epaphum[36] ederet effecit. Postea vero Io ab Aegyptiis Isidis[37] nomine culta est.[38]

Iam antiqui bene perspexerant hac fabula naturae quasdam rationes innui, quas ut reperirent multi sudaverunt. Neque nostrae aetatis viri has absconditas esse voluerunt, sed alius alio modo explicaverunt, cum semper hanc fabulam cum eis, quae universae Graecorum mythologiae inesse sibi persuaserant, congruentem reddere vellent.[39] Quas sententias singulas recensere et refutare longum est et a proposito nostro alienum, praesertim cum nostro demum tempore a plerisque concessum sit, non semper eandem viam in explorandis mythologiae rationibus absconditis retinendam esse. Hoc igitur labore supersedeo, satis habens, eis quae vera esse opinor prolatis de antiquis fabulae partibus inquirere et quomodo paullatim adaucta sit.

Verbo *Ἰώ* de cuius origine variae opiniones prolatae sunt,[40] apud Argivos l u n a m significari non modo Suidas (s. v. *Ἰώ*.

Ἰοῦς· οὕτω γὰρ τὴν σελήνην ἐκάλουν Ἀργεῖοι), sed etiam Eustathius (parecb. in Dionys. 92. *Ἰὼ γὰρ ἡ σελήνη κατὰ τῶν Ἀργείων διάλεκτον*) et auctor chron. Pasch. (p. 96. *οἱ γὰρ Ἀργεῖοι μυστικῶς τὸ ὄνομα τῆς σελήνης τὸ ἀπόκρυφον Ἰὼ λέγουσιν ἕως ἄρτι*) produnt, quorum auctoritas cur infringatur cum nulla causa sit, iam uno verbo quid velit sibi fabula recognoscimus. Luna, si orbem suum non explet, cornua ostendit, ita ut gens haud ita multum ab origine sua provecta bovis formam bene ei attribuere possit.[11] Quae cum non uno in loco consistat, sed per totum coelum citior reliquis stellis volvatur, iam subesse aliquam causam necesse est. Et quid magis ex proposito, quam bovem musca quadam sive oestro quibus valles Argivorum abundabant (cf. Aesch. Suppl. 293. *οἶστρον καλοῦσιν αὐτὸν Ἰνάχου πέλας*), ab Argiva enim terra hanc fabulam oriundam esse per se patet, impulsam per coelum agitari? Argum autem plurimis oculis insignem ipsum coelum esse ne antiquos quidem fugit.[12] Postea vero cum prior fabulae vis paullatim e mentibus evanuisset, ipsa tamen fabula remansisset, errores Iûs in terra collocaverunt, eis imprimis locis usi, quae aliquo modo sive ipsius nominis sive vaccae (*βοός*) in quam mutata fingebatur, particulam haberent. Itaque tali modo Ionium mare ex ea appellatum esse dicitur, tali etiam multi Bospori, quamvis vera ratione prorsus neglecta.[13] Mox autem cum Graecis aditus ad Aegyptum miris rebus plenam datus esset, feminam quam ibi cultam invenerunt eodem modo quo Ionem figuratam, dico Isidem, ex sua consuetudine Ioni suae eandem esse rati eius erroribus in Aegypto finem factum esse arbitrati sunt. Neque mirum est, a nonnullis quod etiam Isidem per terras errasse cognoscerent, denuo Ionem peregrinatum missam esse, scilicet ut filium a Curetis raptum recuperaret.

Quod tot fabulis Graecis accidit, ut omni mythologia remota ad humanas res referrentur humanaque ratione explicarentur, etiam ea quae de Ione narratur, passa est, neque tamen ut plerumque reliquae, Euhemeri demum temporibus, sed iam multo antea ab Herodoto, qui (I. 1, 5.) a Phoenicibus filiam Inachi raptam esse, sive secundum Phoenicum narrationem Ionem quod cum gubernatore consuetudinem habuisset, sua

sponte patriam reliquisse inque Phoeniciam abiisse demonstrat. Similia produnt Parthenius, Palaephatus aliique (cf. Westermann. mythograph. 153, 2. 249, 5. 305, 11. 324, 22.)

Fabulam per tot saecula a tot viris uberius narratam sive obiter commemoratam, carminibus epicis, tragoediis, pedestri oratione tractatam, quin etiam, ne hoc negligam, in saltationibus adhibitam (cf. Lucian. de salt. 43.) maxime vulgarem fuisse per se patet. Eoque minus credendum est, eam, qua scriptores omni modo usi sunt, ab artificibus non animadversam esse. Et sane restant testimonia, etsi non multa sunt, quibus demonstratur etiam ab artificibus eam non esse neglectam. Pausanias (I. 25, 1.) narrans quae in arce Atheniensium conspexerit, etiam haec commemorat: *γυναῖκας δὲ πλησίον Δεινομένης Ἰὼ τὴν Ἰνάχου καὶ Καλλιστὰ τὴν Λυκάονος πεποίηκεν, αἷς ἀμφοτέραις ἐστὶν ἐς ἅπαν ὅμοια διηγήματα· ἔρως Διὸς καὶ Ἥρας ὀργὴ καὶ ἀλλαγὴ τῇ μὲν ἐς βοῦν, τῇ δὲ ἐς ἄρκτον.* idem in sella Apollinis Amyclaei haec inesse narrat III. 18, 7. *Ἥρα δὶ ἐφορᾷ πρὸς Ἰὼ τὴν Ἰνάχου βοῦν οὖσαν ἤδη, καὶ Ἀθηνᾶ διώκοντα ἀποφεύγουσά ἐστιν Ἥφαιστον.* Addit imaginem Plinius XXXV, 132: fecit et (de Nicia loquitur) grandes picturas, in quibus sunt Calypso et Io et Andromeda etc. Accedunt seu verae seu fictae imagines a poetis descriptae, dico Eur. Phoen. 1115. seq. de pictura qua Hippomedontis clipeus ornatus est: Mosch. I, 44, ubi figurae describuntur in Europae canistro formatae, Virg. aen. VII. 789 de Ione in Turni clipeo picta. Quorum cum nihil invidia temporis servatum sit, si recognoscere volumus, quomodo in eis fabula Ionis ficta fuerit, ut in monumentis quae hodie extant quaeramus necesse est, utrum ad illam aliquid pertineat an non.

Et sane varia artis antiquae monumenta usque ad nostram aetatem servata sunt, in quibus Ionis fabulam recognoscere licet, parva quidem (nulla enim statua praeter unum fragmentum marmoreum neque ectypum inter ea recenseri potest) tamen ad commodum nostrum satis ampla. Plurima in vasis extant, quae nostro demum tempore frequentius reperta multis fabulis paene iam desperatis lucem attulerunt; accedunt picturae quaedam in parietibus repertae nonnullaeque gemmae. Neque tamen uno tenore omnia enarrare possumus, siquidem non uno momento

actio quae inest fabulae comprehenditur; segregandae igitur sunt primum imagines, tum ita inter se iungendae, sicut ipsa fabula docet: quae in tres potissimum partes apte dividi potest.

Prima continet ea, quae facta sunt antequam Iunonis ira puellam perderet, id est amorem Iovis petitionemque virginis.

Altera pars ea complectitur, quae pertinent ad custodiam Argi eiusque mortem.

Tertia quomodo Io tandem quietem invenerit nobis indicat.

Ad hunc modum si imagines huc referendas perlustraverimus qualisque Io ibi depingatur cognoverimus, tum demum nobis licebit ea monumenta spectare, ubi Io sine ullo comite sola conspici videtur.[14]

Ad primum momentum duae imagines pertinent, quae quamvis prioribus temporibus utraque aliter explicata sit, tamen ita arcte inter se cohaerent, ut si contuleris eas inter se, ad eandem fabulam idque ad Ionis referendas eas esse statim intelligas, quas literis A et B signabo.[15]

In A pictura vasis in museo Berolinensi extantis, (cf. Panofka. A. P. t. III. 1) conspicitur femina, quae amicta tunica sed ita ut humerus sinister pectusque nudum sit, et vestimento circa pedes convoluto in ara sedet iuxta statuam quae antiquissimis simillima est, nullo enim pede progreditur solaque brachia eundem in modum protendit, dextra face, arcu sinistra praeditis. Accedit quod etiam vestis lato clavo ornata est; caput vero modio tegitur. Sed redeamus ad puellam. Haec torque insignis in sinistra arculam protendit, dum dextra humum versus demissa coronam flore insignem tenet. Caput autem, id quod maxime memorabile, cornua duo parvula ostendit. Colloquitur cum ea ut videtur vir barbatus, nudata superiore corporis parte, qui dextra versus caput corona decoratum sublata in sinistra sceptrum bene ornatum gerit. Post eum femina constitit qua solent tunica et vestimento amicta. Torque et diademate distincta in sinistra avem tenet. Sinistrorsum vero si spectas, iuxta statuam deae iuvenis adstat, qui chlamyde in sinistram partem dependente indutus in dextra clavum, in sinistra diptychon habet et cum oculos suos ver-

sus virum dirigat qui sceptrum gerit, paullum sinistro pede progreditur. A tergo eius, sed paullo elatius, femina apparet, quae solenni modo vestita eademque ricinio, ut etiam altera femina, et diademate ornata sinistram protendit, dextra sceptro occupata. In superiore vero parte Amor alatus, qui in veste sua sedet baculumque et rotam in sinistra gerit, et satyrus conspiciuntur, qui pedibus absconditis (ut super montem eminere videatur) syringa[46] et ramum tenet. Amictus pelle chlamydis in modum in pectore contorta in fronte duo cornua ostendit; iuxta eum stella apparet. In inferiore denique parte imaginis non modo plantae ramique et lapides, sed etiam hydria et caprea et tripus picta sunt.

Qui primus hanc picturam evulgavit Hirtius, Theseum Ariadnae matrimonium a Minoe patre petentem invenisse sibi visus est. Sed neque quomodo Ariadne cornibus instrui potuerit, nec quam ob rem Theseus, cui summae hic agendae erant partes, obiter tantum appositus sit (adolescentem enim clavigerum Thesei partibus fungi vult) omnino ostendit. Quae falsa esse qui recte congnovit Böttigerus rectius quidem, neque tamen omnino recte picturam interpretatus est, cum dicat, Iynga esse feminam cornibus instructam, quae magica arte Iovis amorem excitaverit.[47] Sed Iynx non ut se, sed ut Ionem Iupiter deperiret effecisse dicitur, neque quod Pan eius pater est, filiae cornua conveniunt. Avellino vero de Iphigenia cogitavit, quae in ara sedens cum Thoante colloqueretur. Quae quia iam eo refelluntur, quod Iphigenia cornibus carere debuerit, nolo longus esse in explicandis reliquis figuris. Neque O. Muellerus satis feliciter in hac pictura interpretanda versatus est, qui Proeti filias, quas Melampus vates liberaverat insania, sive potius unam ex his pictam esse arbitratus est. Nam etsi illae sibi persuaserant, se boves esse, tamen nunquam vere cornibus insignes fuerunt. Recte igitur Ed. Gerhardus illa sprevit, talia proposuit: Simulacrum in medio positum quamvis facem et arcum teneat, quae plerumque Dianae propria sunt, tamen etiam Iunonis esse potest, cum utraque dea saepissime cum altera confundatur.[48] In cuius ara consedit Io sacerdos cornibus praedita; in manibus vero tenet

dona Iovis, quem quin statim agnoscat nemo facere non poterit. Is cum puellae persuadere velit, ut relicta ara, ad quam quasi supplex illa confugit, se exaudiat complectendique facultatem det, adiuvatur a femina, quam Gerhardius Venerem, Panofka melius Peitho esse contendit.[49] Sed quam sperat sibi voluptatem factum iri deus omnipotens, iam mox dirumpetur: ecce enim ab altera parte regia coniux progreditur spectatura quid agat maritus. Haec recte Gerhardius; neque tamen quae addit defendi possunt. Iuvenem enim qui clavum et diptychon tenet, Phoroneum vocat fratrem Ionis; quem quod in hac fabula, si genealogiam negligis, nunquam commemoratur, bene relegavit Panofka Argumque ei supposuit. Is adest, ut mox Ionem custodiendam accipiat. Neque in clavo haeseris ratus id ab eo alienum esse, saepius enim hoc instrumento praeditus homo, qui sine dubio Argus est, infra in aliis picturis occurret. Haud ita facile difficultas quae diptychis oritur potest tolli,[50] quae Gerhardium videntur impedivisse, quominus Argum hic recognosceret, neque tamen inexsuperabilis est. Fabulam Ionis saepissime esse tractatam tragoediis comoediisque iam supra cognovimus, neque ab eis solum quorum nomina nobis servata sunt, sed etiam ab aliis, ita ut Horatius inter fabulas multum in scena decantatas etiam Ionem referre posset. Inprimis autem in Magna Graecia talia tractabantur; ibi enim theatro maximam operam datam esse, etsi paene nihil a scriptoribus refertur, nunc inter omnes constat. Neque hydriae cuius pictura nobis proposita est, quamvis omnia accurate diligenterque sint picta, fabricam alibi quaesiverim quam in ipsa Magna Graecia, quam figlinis abundasse nemo infitiatur; et id statuo non modo propter locum, ubi reperta est, sed etiam propter colorem flavum et omnino propter figurarum habitum. Quid, si poeta, cum Ionem in scenam mitteret, id instituit, ut Argus non modo verbis Iunonis de custodia Ionis edoceretur, sed etiam tabulas reciperet, in quibus omnia accurate essent perscripta? Quod si fecerat poeta, figulus sive pictor vasarius facile imitari potuit.[51] Qua coniectura etsi non id pervici, ut nullus sit dubitationi locus relictus, tamen nihil mihi videor protulisse, quod probari non possit.

De amoribus agi etiam puer alatus in superiore parte positus diserte indicat, qui rota baculoque quo solent rotam propellere puerili modo instructus [52] colloqui videtur cum Satyro super montem eminente. Qui quid sibi velit si ex Gerhardio sive Panofka quaeras, mira referas; adest ramo armatus, scilicet ut indicet, inter montes saltusque eos qui adsunt convenisse, id quod plantis quoque lapidibusque in inferiore parte dispersis demonstratur. Neque aliud quid sibi vult caprea, quam simillimo modo adpositam etiam alias invenire licet.[53] Tripus vero et hydria subiuncta sunt, non quo mysticae et Bacchicae religionis admoneamur, sed quod in fano Iunonis talibus rebus locus erat; simul vero illis etiam spatium expletur oculisque delicatus aspectus praebetur. Hoc modo si interpretaris, nulla difficultas relinquitur. Sed dices, quid sibi vult Iuno, cum iam statuam eius esse contenderis: et quomodo Io cornua in fronte habere potest, quae postea demum a Iunone mutabitur? De hoc quidem paullo post exponetur, ubi etiam altera pictura ad idem momentum pertinens proposita erit, illi vero quaestioni statim satisfaciamus. Opus erat statua ut non modo locus conventionis accuratius depingatur, sed etiam Ionis munus indicetur. At statua non ipsa dea est, quamquam saepius fortasse effigiem quasi vere deum Graeci venerati sunt. Facillime igitur ut fabula postulabat etiam iuxta statuam ipsa dea apparere poterat, id quod saepius invenitur. Sic, ut unum exemplum afferam, in pictura Pompeiana, quam ad Timanthis exemplum vulgo referunt, ipsa Diana in superiore parte apparet, quamquam infra eius statua constituta est.[54]

Huic simillima, sed multo simplicior altera quam commemoravi, B (v. not. 45) pictura est. Qui primus hanc edidit Vivenzio [55] de Iphigenia ad aram Dianae sedente coram Oreste et Pylade cogitavit. His spretis Millingen in Ionis fabulam incidit, multis tamen neglectis. Iuxta statuam in columna Ionica positam deae simplicissimo modo formatae (quid cunctor dicere Iunonis?), quae clausis pedibus brachia solum extendit, in ara femina sedet, quae sinistro brachio sublato, dextro ad terram demisso, nudo pectore, cornua in fronte gerens, Io, virum aspicit iuvenem, qui item superiore parte corporis nudata in

dextra sceptrum gerit, cuius in vertice avis formata est. Quem si cum eo comparamus, qui in altera imagine eundem locum tenet, Iovem quominus agnoscamus iuvenili eius forma non impediemur, cum notum sit, etiam alibi Iovem sive barba iuvenis sub figura repraesentatum esse.[56] Altera vero in parte quis sit iuvenis chlamyde, quae dextrum latus non tegit, calceisque vestitus sinistroque pede paullum progrediens, memores alterius picturae iam non quaeremus. Adest Argus mox futurus custos. Neque Amor deest alatus, qui in nostra tabula oleum ex alabastro effundit (lapsu ut videtur pictoris, qui Ionem volebat) in statuam Iunonis.[57] Neque satyrus desideratur, qui aures ferinas, nulla cornua gerens, syringe praeditus quasi decedens ex loco dextram manum tollit. Post tergum vero Argi arbor conspicitur multa fronde obsita.

Habemus igitur easdem figuras omissa Iunone, et omnes quidem eisdem gestibus utentes quibus in A, praeter Amorem, qui hic alabastro instructus in sinistram partem vertitur, et satyrum qui in A quietus sedens in B scenam relinquere videtur. Neque tamen hanc ob rem id non significat, quod in priori, sed item regionem vult indicare,[58] id quod ex arbore quoque suspicari libet.[59] Quae picturae cum altera alterius tam similes sint eaeque figurae, quae maxime necessariae sunt, eodem paene habitu in utraque reperiantur, non recusare possumus, quin quaeramus, utrum altera ex altera de sumpta sit et utra, an fortasse utraque ex tertia, quae hodie non extat.

Id quod in philologia difficillimum est diiudicatu, cum quaeratur, duorum librorum inter se similium uter prior sit altero, uter ex altero defluxerit, multo maiores tamen oriuntur difficultates, si archaeologis tales quaestiones discernendae sunt ea de causa, quod archaeologia nuper, ut ita dicam, reperta non ex omnibus partibus leges sibi invenit, quas philologi sibi iam paraverunt. Neque enim quod monumentum copiosius est, etiam prius esse debet, saepe enim artifices cum spatium explendum essent figuras adiecerunt aliunde desumptas, quae prorsus alienae essent a proposito, quod imitarentur, neque rursus imago quod simplicior est, etiam prior dici

potest, cum item saepissime acciderit, ut ex magna figurarum frequentia bene inter se compositarum paucas desumerent loco aptas.[60] At plerumque tamen leges, quas philologi sibi proposuerunt, etiam in monumentis diiudicandis adhibere possumus.

Differentiarum quae inter A et B intercedunt hae premendae sunt: primum quod B Iunonem omisit, tum quod eius Io et statua et Argus nullo instrumento praediti sunt simulque vasa et caprea in inferiore parte desunt, deinde quod in B Iupiter imberbis apparet. Minoris vero momenti est, quod Amor et satyrus in B aliter depicti sunt, quam in A, quod in eis figuris, quae quamvis non superfluae tamen non necessariae sunt, semper maxima fuit libertas. Illae vero differentiae non negligendae sunt. In A Iunonis demum praesentia quis sit iuvenis claviger explicatur, ita ut in B eum paene non possimus recognoscere, nisi altera pictura A collata. Quoniam igitur Iunone opus est ad intelligendam sententiam, hanc in genuina compositione omissam esse non putaverim, cum tamen pictor posterior paucioribus figuris contentus eam negligere posset. Idemque de altera differentia dicendum est. Nam quamquam gestus Ionis quales in B cernuntur per se explicari possunt, cum supponas, eam colloquio occupatam a Iove precari ut se liberam amittat neve amore suo pericula paret, tamen melius gestus ei conveniunt, quae pyxida coronamque dona amantis in manibus tenet; addas, quod priscae statuae fere nunquam attributis carebant, quippe his demum appositis agnosci possent; haec igitur facilius omitti quam addi poterant. Idemque de rebus locum accurate indicantibus dici potest. Censeo igitur picturam A priorem, i. e. magis genuinam esse (de tempore enim non dissero), quam sententiam veram esse ut putem ea quoque re moveor, quod in A barbatus, imberbis in B Iupiter apparet. Prior enim cum figuras disponeret quid sibi vellent bene perspectis suum cuique attribuit, cum alter negligentior deque fabula quam pingebat minus sollicitus amitteret quae amitti non poterant, corrigeret quae corrigi non debebant. Unum tamen bene correxit, distinxit enim aram in qua Io sederet, colum-

namque statuae. Simul vero et hac differentiae et quae in vestibus cernuntur tantae sunt, ut eum qui B pinxit, illam A imitatum esse non verisimile sit: sed potius ab utroque imaginem iam antea extantem expressam esse crediderim, quam uterque suo ex ingenio aut diligentius aut negligentius adumbraverit. bene hoc confirmatur, quod utrumque vas in eodem loco repertum est, ita ut de una fabrica in qua unum exemplar a variis varie exprimeretur cogitari posset. Quale autem fuerit illud exemplum, a quo compositum enucleare non possumus.

Dixerit quispiam: ut hoc concedam, tamen interpretationem tuam falsam esse iam inde apparet, quod Io cornibus non poterat esse distincta, antequam in vaccam mutaretur. neque negari potest, suspicionem hanc satis gravem esse; sed tolli potest. Intres mecum in figlinam pictoremque ipse exaudias. Volebat Ionem cum Iove confabulantem fingere, sed quis, si virginem vulgari modo compositam spectasset, de Ione cogitasset? Aut igitur nomina erant adscribenda, id quod artifices Magnae Graeciae satis raro fecerunt, aut virgo ita distinguenda, ut ignorari non posset, id est cornibus. Quibus factis violavit quidem fabulam, quae postea demum eam mutatam esse narrat, sed maluit clarus esse quam verus, ita ut ei iam ignoscendum sit.[61] Praeter has nihil nobis servatum est, quod ad primam fabulae partem pertineat.

Altera vero pars, qua continentur ea, quae usque ad Argi mortem acciderunt, tria momenta nobis ostendit, primum Argi custodiam, tum aditum Mercurii, deinde Argi mortem.

Ionem ab Argo custoditam invenimus in cratere rubris figuris ornato, quae nondum in lucem prolatae sunt[62] (hanc picturam in sequentibus litera C indicabo). In dextra parte Io cornigera sedet (ubi consederit, intelligi non potest) tunica et circa crura amiculo vestita, quae dextram frontem versus erigit, quasi admirata novum capitis decus. Iuxta eam culeus ut videtur, suspensus est, cum in sinistra parte saxa appareant; ibi iuvenis constitit imberbis, ex cuius brachio sinistro ad altum sublato pellis dependet maxima maculis sparsa; neque

clavum sinistrae deest, in dextra vero concham spatiosam tenet, cum pedes eius peronibus pelliceis muniti sint. Argum Ius custodem intelligere nemo dubitabit, quem clavum gerentem iam in A agnovimus. Is ne munere gravi occupatus deliciis omnino careret, culeum vino refertum secum apportavit simulque concham unde biberet, sane modo rustica illa figlina satis digno.[63]

Ad idem momentum pertinet quoque pictura parietis Pompeiis reperta,[64] quam sub D litera dictam putes. Conspicitur ibi Io (propter cornua quae in fronte gerit, eam statim appellare licet) in rupe sedens, amicta tunica manicata, quae tamen humerum sinistrum non tegit, et amiculo, quod circa crura convolutum est; neque crines fascia neque pedes soleis carent; cum caput paullum ad dexteram partem declinet, quasi meditationibus suis indulgens, sinistra manu in rupem nititur, dextra vero laciniam vestis ad pectus tollit; iuxta eam in dextra parte adolescens constitit, qui capite adverso dextro crure in rupe posito sinistram manum ad coxam declinat, dextra vero hastam, cuius cuspis ad terram inversa est, gladiumque et chlamydem tenet. Quem quin Argum nominemus Ionis in vaccam mutatae custodem nihil nos impedit.[65] Nam ei qui alibi clavum gerit etiam gladius lanceaque attribui poterant, praecipue in pictura Pompeiana, in quibus saepissime fabulas diverse pictas esse notum est. Accedit quod etiam alii pastores, ut Paris aliique, interdum lanceis armati sunt. Ceterum, ne quid omittam, inter puellam et adolescentem rupes et a dextra Ionis in sinistra picturae parte arbor picta est, quam quominus totam aspiciamus calamitas obstat, quam ibi pictura perpessa est. Parvi interest, utrum arbore regionem accuratius exponi an oleam innui putes, de qua iam saepius dictum est, quamvis ego hanc potius suspicatus sim; hic enim, ubi Io ab Argo custoditur, bene pictor arboris quam fabula diserte memorat, mentionem habere potuit.

Necesse est, ut hic de gemmis loquamur, quae non modo a Panofka, id quod secundum mores huius viri non mirum esset (memineris, vel deos Indorum cum Argo conferri), sed etiam ab aliis huc referuntur; quas quin eiiciamus licet multis

invitis facere non possumus. Dico eas, quae apud Panofkam tab. I, 2; 3; 4; 5 allatae sunt.[66] In quibus vir senex tunica et chlamyde (I, 2.) sive pelle (I, 3; 4.) amictus in lapide (I, 2.) sive lapidum acervo (I, 3.) consedit, sive stat (I, 4.), baculo (I, 2; 4.), semel autem (I, 3.) duabus lanceis nixus. custoditur ab eo vacca (I, 3. plures boves scalptae sunt), quam ut facilius observare posset, canem secum adduxit. (sed. I, 4. ego non canem, sed vitulum malim recognoscere, id quod sola gemmae imagine discerni non potest; neque mihi contigit, quamvis permultis dactyliothecis introspectis, ut ipsam lapidem sive e gypso expressam examinarem), praeterea arbor apposita est, in qua semel (I, 4.) avis consedit. Quae quomodo ad Ionis fabulam trahi potuerint, ego nescio, cum ne minima quidem eius vestigia appareant; neque enim Io puellae sub specie cornigerae, neque Argus oculis multis praeditus, qualis mox occurret, ibi invenitur, sed pastor grege custodienda occupatus. nam ut arbore una totum nemus, sic propter unum bovem de toto armento cogitare licet, inprimis in lapidibus exiguitate insignibus. Qui dicunt, non modo Argum in eis quas iam descripsimus picturis nullo modo ab aliis hominibus diversum fuisse, sed etiam Ionem sub bovis figura pictam esse (id quod negari non potest), ita ut sane lapides illae ad fabulam referri possent, eis obiiciendum est, Argum iuvenem non propter figuram iuvenilem, sed propter Ionis cornigerae praesentiam, Ionem vaccam non propter bubulam speciem, sed propter Argum oculeum ita denominatos esse. Idem vero statuendum est de lapide, quem Panofka I, 5. habet, quae cum bovem ostendat incitato cursu ad fontem decurrentem et virum in aedicula stantem et canem, item ad rusticam vitam pertinet, id quod etiam is, qui catalogum dactyliothecae Petersburg. conscripsit, bene intellexit.

Non multum per tempus Io custodita est ab Argo, cum Iupiter Mercurium misit, ut puellam, quam propter suum amorem tantis suppliciis datam esse sciret, e vinculis eriperet. Mercurius vero callidus qualis fuit Argum, cuius oculos effugere non poterat, prius totum sopire studuit, antequam periculum subiret. Iste aditus in picturis et parietum et vasorum repraesentatur. Inprimis oenochoe musei Berolinensis digna est ad quam ani-

mum attendamus, quod recedat ab aliis,[68] quam litera E notabimus. Femina ibi conspicitur tunica vestimentoque induta, quae in capite corona ut videtur oleaginea ornato duo cornua gerens[69] cum iuvene a dextra eius sedente colloquitur. quod ut putem, capite puellae ad illum inflexo manuumque directione adducor. Ille, cuius sinistra manus pelle tecta clavum tenet, dextra in genu nixus quamvis corpore averso caput fascia insigne versus feminam flectit quasi acriter eam custodiens, iuxta quem in sinistra picturae parte Mercurius petaso chlamyde caduceo satis designatus apparet. Inter hunc vero et Argum bovis prior pars picta est, cuius collum corona sive catena alba circumdatur. Ionem ab Argo custoditam quin hic intelligamus nihil nos prohibet. sed quid sibi vult caput bovis? Cogitari possit de capite qualia saepissime in parietibus suspensa ficta sunt, ut sacrificiorum mentio iniiceretur, sed cum tale quid ab hac pictura alienum esset (neque enim de pariete neque de sacrificiis agitur), alia interpretatio quaerenda est, quae hercle haud ex longinquo peti potest. Quamvis Io cornibus iam satis declarata esset, tamen pictor ne ulla suspicio oriri posset, ultro caput bovis addidit, ita ut cuique Io in vaccam mutata in mentem venire deberet. quod ut tibi persuadeas, conferas quaeso imaginem Mus. Borb. X. tab. LVIII. ubi a tergo Daphnae Apollinem fugientis arbor apposita est, scilicet ut intelligas puellam mutatum iri in arborem. Neque tamen negaverim, semper illud mirificum esse. Id tamen pro certo haberi potest, referendam esse picturam ad fabulam Ionis, et ad id quidem eius momentum, de quo loquimur.

Hoc loco picturam vasis nunc Monaci extantis[70] malim tractare quam alio. cuius (F) figurae nigro colore pictae hae sunt. conspicimus hominem nudum ingenti barba capilloque praeditum, cuius vultus magis monstri quam hominis videntur esse, setosum in pectore, ubi oculus interpositus est,[71] sedentem, in dextra funem tenentem; iste funis circa caput bovis aversi cinctus est, ubi prehenditur a Mercurio barbato calceisque alatis instructo. Is igitur dum funem sinistra prensat, altera manu gladium quaerit, cuius capullus, nisi fallor, in latere apparet, quasi disciso vinculo bovem liberare velit: quo incepto

indignatus canis custodis, qui ante bovem positus est, sublato pede caput ad Mercurium vertit, quasi dicturus, se invito eius facinus perfectum iri. Neque arbor deest palma iuxta bovem posita. Argum hic terrae filium γηγενῆ fictum esse propter truces vultus monstrique similes manifestum est. Habemus igitur adventum Mercurii deque morte custodis, quamvis ingentibus viribus praediti iam suspicari possumus.

Secus statuendum est de pictura vasaria (Dubois Maison. pl. 35.) quam sunt qui de Argo interpretentur.[72] In medio fere iuvenis conspicitur imberbis, qui in pelle leonina sedens in dextra clavum tenet usque ad genua dependens, sinistra obiter ad crus sinistrum demissa. armatus arcu pharetraque et gladio, cuius balteus in pectore apparet, oculos neque ad dextram neque ad sinistram partem deflectit, quasi cogitationibus suis deditus. Iuxta quem Mercurius constitit, quem ut statim agnoscas petaso chlamyde caduceo efficitur, quem utraque manu tenet; ab altera vero parte femina adproperat alata, quae palmis instructa iuvenem dextra tangit ut palmam a se accipiat. Qui hanc edidit Dubois Maisonneuve Bacchum sibi conspexisse visus est sub Herculis persona apparentem, quod quam falsum sit, primo statim aspectu docemur. neque tamen ulla Argi mentio iniici debuerat, cui quid pellis leonina, quid arcus et pharetra, quid denique palmae conveniunt? neque fieri potest ut iuvenem multis oculis non insignem Argum esse dicamus, nisi praesente Ione cornigera. Sed nullam esse causam reor, cur in explicanda hac imagine ab eis quae primo se offerunt recedamus, cum id quod ego mihi persuasi, Hercules intelligendus sit, qui perfecto aliquo opere lassus a Victoria virtutis praemium palmam accipiat. Mercurium vero item atque Minervam saepissime comitem herois fictum esse notissimum est; cui explicationi ne imberbitas quidem obstat, cum etiam aliunde constet.[73] Herculem sine barba repraesentatum esse. Accedit quod vas ex figlina Magnae Graeciae videtur prodiisse, cui variae eius proprietates imputandae sint.

Sed bene hic afferri potest pictura Herculani reperta a. 1830.[74] (cui literam G attribuimus). In rupibus quibus tota regio referta videtur, femina speciosa cornigera Io, tunica vesti-

mentoque ricinii in modum super caput sublato amicta spectatur, quae sinistra in saxo collocata amiculum dextra prensat. Paullo inferius iuvenis item in saxo consedit, qui tunica manicata et chlamyde indutus et peronibus, quibus digiti non teguntur,[75] cum sinistra nitatur rupe, dextram, e qua pedum ad crura positum proxime elapsum videtur, protendit versus Mercurium, qui nudus, neglectis pedibus qui calceis alatis muniti sunt, pondus corporis paullum inclinati aequat caduceo, quo sinistra utitur, dextram vero syringe instructam ad iuvenem porrigit. Picturam hanc ad Ionis fabulam pertinere omnes consentiunt, itemque volunt, Mercurium ita fictum esse, ut omnes credant, eum mox sopito Argo Ionem liberaturum esse, sed disputant, utrum Mercurius instrumentum dare vel recipere velit. Utrumque, si fabulam spectas ferri potest, quoniam Argus auditis incogniti instrumenti sonis[76] id sibi poposcisse, mox vero, cum ipse eo canere non valeret, reddidisse bene fingi poterat, sed si manus utriusque spectamus simulque pedum animadvertimus e manu modo delapsum, magis verisimile videtur, Argum pedum modo deposuisse ut syringa acciperet. Tum fuere qui dicerent, hac repraesentatione innui fore ut Argus sopitus a Mercurio armis orbo ictu lapidis interficeretur.[77] Neque hercle lapides desunt, quibus uti possit, sed nihilo secius hoc aspernatus sim. Nam si pictor volebat, ut tale quid suspicaremur, disertius indicare debebat. Adde quod etiam in E arma Mercurio desunt, quamvis lapides ibi non inveniantur.

Nulla autem modo Braunio hic afferenda erat pictura quae Pompeiis in tribus domibus reperta est,[78] dico eam in qua deus aliquis prorsus in modum Apollinis formatus cithera canens pictus est coram iuvene, qui chlamyde amictus pileoque Phrygio tectus et pede instructus iuxta bovem in rupe consedit, attentus ut videtur ad musicam. Nam etsi interdum Mercurius et Apollo ita inter se confunduntur, ut alteri attribuantur ea quae alterius propria sunt, tamen hic ne minimum quidem Mercurii vestigium relictum est, et quî potest Argus pileo Phrygio ornari? accedit quod in parietibus Io nunquam vaccae sub specie apparet, id quod infra accuratius ostendetur. Quae difficultates tantae sunt, ut de Ione nihil cogitandum esse mihi persuaserim.

Idem vero momentum de quo agimus fabulae etiam in gemma repraesentatur quae bene hic afferri posset si vere antiqua esset.[79] Mercurius, quem ut agnoscas petaso alato efficitur, de cuius humeris chlamys dependet, in lapidibus conglomeratis sedens tibiis canit, quarum dulci sono adductus Argus custos, qui nudus, pedum in manu sinistra tenens item lapidibus sedis loco utitur, iam in eo est ut conniventibus oculis somno capiatur; caput enim quasi eius pondere oppressus iam deflexit manuque fulcire studet, somno letifero periturus. Inter hos prior pars bovis conspicitur, cuius paene tristitiam cernere credas longa Mercurii mora excitatam. Quamvis igitur optime hoc loco afferri possit, ubi iam transituri sumus ad tertium momentum, Argi mortem, quod custodem paene iam somno vinctum ostendit, tamen potius omittenda est propter rationem scalpendi nostrorum scalptorum similem, quo efficitur, ut non antiqua sed hodierna esse videatur.

Si picturas huc referendas denuo perlustramus, res sane mira cernitur. Quod enim supra narravi, Argum antequam interficeretur a Mercurio sopitum esse, nusquam in vase, solum in pictura parietis (G.) appositum est, ita ut in illis (E. F.) statim de caede cogitandum sit. Et hercle cum ne scriptores quidem antiquiores de conniventibus oculis aliquid tradiderint (sic apud Aeschylum repentino fato Argus dicitur sublatus esse), posteriores demum homines hoc sibi finxisse verisimile est, scilicet ut interpretarentur, quomodo fieri potuisset ut Argus quamvis multis luminibus instructus a Mercurio opprimeretur; fortasse ea quoque de causa, quod alteram narrationem crudeliorem putarent esse. Comparari potest fabula Paridis, cui item malum Eridis summarum discordiarum causa posterioribus demum temporibus additum est.

Postquam igitur omnia congessi, quae huc pertinent, iam ad tertium momentum, Argi mortem, transeundum est, quae quod saepius repraesentata sit ceteris, nemo mirabitur qui sibi conscius est, res actione plenas antiquis magis placuisse quam quietas.

Primo loco placet afferre picturam quae a R. Schoenio paucis ante annis in lucem emissa est rubris figuris decoram[80]

(ei literam H attribuo), quae arbore ab utraque parte posita a reliquis figuris quibus vas ornatum est secernitur. Ibi Mercurius calceis alatis conspicuus, qui tunica et chlamyde vestitus, in capite petasum gerens, qualis etiam alibi occurrit, sinistra barbam viri nudi iacentis corripit, dum dextra gladium contra eum dirigit. Is coopertus oculis per omnia membra dispersis iam facile cognitu, ita ut literis ascriptis (*ΑΡΓΟΣ*) paene non opus sit, prostratus humi dextram tollit, quasi nuda manu letalem ictum defensurus dei, quem atroci vultu suspicit, dum sinistra terra nititur; iuxta eum in sella sedet vir regio ornatu, tunica manicata vestimentoque indutus et corona ornatus, qui sinistra sceptrum tenente dextram tollit, post arborem vero in dextra parte sitam caprea cernitur, cum a tergo Mercurii Argique bos eximia magnitudine et obesitate appareat. In superiore denique parte scriptum est *ΚΑΛΟΣ* et ad dextram proeunti *ΔΑΜΑ*. De actione quamvis dubitari non possit, primo enim aspectu quisque agnoscet, Argum inopinato oppressum a Mercurio interfici, ut Io in vaccam mutata ab eius custodia liberetur, tamen accuratius spectantibus varia valde mirabilia obveniunt. Primum enim non vacca, sed diserte taurus pictus est. Schoenius, qui de ioco cogitandum esse recte negat, negligentia pictoris hoc factum esse vult, idque confirmare studet. Literas enim *καλος* propter multum spatium interpositum non conferendas esse cum *δαμα*, has vero in *δάμαλις* supplendas, ita ut pictor literis ascriptis errorem suum correxisse censendus sit; quod cur falsum sit, statim demonstrabitur, neglegentia vero pictoris qua re orta sit fortasse enucleari potest.

In Britannia catillus extat rubris figuris decoratus, qui Clusii una cum aliis duobus, nisi fallor a. 1839 inventus est; cuius pictura, quam sub I litera in sequentibus signatam habes, Ionis fabulam exprimit.[81] Mercurius (*ΗΕΡΜΕΣ*) barbatus, tunica, super quam pellem cinxit, et chlamyde vestitus, idem petasum, qualem iam in H invenimus, in capite gerens, in dextra manu multum super caput elata gladium tenet, quo Argum (quamvis nomen non ascriptum sit, nemo eum agnoscere dubitabit) iam humi prostratum et ut videtur vulneratum (nihil enim resistenti similis est) funditus enecet. Is item barbatus et tunica

et petaso Mercurii simili tectus dextrum crus longe a se removet, cum in sinistro genu procubuerit. A tergo Mercurii vacca picta est,[82] quae quasi iam liberam se esse sentiat, acri cursu, cauda alte sublata scenam relinquit.

Iam examines quaeso laciniam inter Mercurii crura dependentem, quae quin pars pellis sit, quam deus super tunicam cinxit, nemo dubitabit. Sed primo aspectu, praecipue cum obiter tantum fabulaeque imperitus imaginem perlustres, te taurum, non vaccam cernere credes. Hoc teneas simulque totam actionem huius picturae simillimam esse priori memor sis. Ad illam nunc redimus. Pictorem satis facile, si simile quale I est exemplum imitabatur, taurum loco vaccae sibi fingere potuisse, praesertim cum fabulam non cognosset, sane credi potest; sed non concedes, fieri potuisse ut pictores vasorum Graeci fabularum imperiti essent, vel fortasse verbis meis contra me uteris, quippe qui ostenderim fabulam Ionis inter eas fuisse quae per omnia secula narratae essent. Sed tamen homines, etiam pictores vasarii, esse poterant, quibus non modo recondita doctrina quam Gerhardius aliique eis attribuunt, sed etiam magis vulgaria partim incognita essent. A tali vero pictore vaccae loco taurum fingi potuisse, cum exemplum, non dico idem, sed simile picturae I libere exprimeret (accurate enim paene nunquam Graeci quid imitati sunt) nemo non confitebitur. Adde quod etiam in alia pictura (cf. p. 21) inter crura Mercurii res quaedam (vagina) apparet, qui habitus multis picturis videtur communis fuisse. Ut tali modo, non lapsu penicilli in H erratum esse putem etiam ipsa inscriptio me movet, quam in suam partem vertit Schoenius. Nam mihi persuadere non possum, verbum *καλός* supra bovem scriptum non ad taurum, literas valde remotas ad taurum pertinere. Itaque cum *ΔΑΜΑ ΚΑΛΟΣ* etiam alibi inveniatur (id quod ille ipse (ann. 1865, p. 149) commemorat), litera vero *Σ* praecipue in fine verborum saepius deleta sit, dubium esse non potest quin hic quoque *ΚΑΛΟΣ ΔΑΜΑΣ* legendum sit, imagine prorsus neglecta.

Iam supra dictum est, duabus arboribus figuras a reliquis secretas esse; una quae in dextra parte conspicitur, certe palma est, alteram oleam esse non propter folia, de quibus

discernere non ausus sim, sed propter funem in trunco positum (nisi putare mavis, duabus lineis, ut in palma, etiam in olea directionem arboris indicatam esse), quo Io adligata erat, ego quoque cum Schoenio putaverim. Neque de caprea quid sibi velit dubii erimus, memores capreae in A repertae: adest, ut locus silvestris indicetur. Sed qui vir iuxta bovem in sella consedit? non dubium est, quin recte eum editor primus Iovem appellaverit, quem regius cultus sceptrum corona maxime decent, cuius ut Io vacca liberetur maxime interesse debet. De gestu vero aliter sentio atque ille, qui manu Iovis sublata mutationem vaccae in hominis figuram significari vult. Ut taceam de fabula, qua non refertur Ionem statim post Argi mortem pristinam formam recuperavisse, etsi iam memorabile est, nihil tale narrari quamvis omnibus fabulae partibus maxime excultis; sed neque gestus convenit consilio quod putat Schoenius Iovis, neque verisimile est, omnino alteram Ionis mutationem pictam esse, nedum in hac compositione cum Argi morte coniuncta conspiciatur. Videtur Iupiter Mercurium adhortari, ne truci vultu adversarii eiusque ferocitate deterritus de nece desistat, sed ut acriter instando intimideque percutiendo vaccam a custodia liberet. Accedit quod incrementa fabulae, dico Ionis per terras errores quaeque sequuntur aut nusquam aut rarissime, neque tum in vasis, repraesentata sunt, id quod infra longius demonstrabitur, ita ut iam propter hanc causam de illa sententia suspiciosi esse debeamus.

Conficitur quaestio altera pictura, ad quam nunc transeamus; quae in vase apud Sir Hope Londinensem extans rubris figuris composita litera K signabitur.[84] Mercurius (*HE*) barbatus, praeterea alis quas in pedibus gerit satis indicatus, tunica et chlamyde vestitus, quae totum fere brachium sinistrum tegit, in capite coronam et petasum versus humeros dependentem gerens, maximo impetu (longe enim pedibus progreditur) in hominem irruit, quem sinistra prensans gladio quo dextra armata est, iam percutere videtur; inter crura vero dei vaginae pars apparet. Homo in quem irruit toto corpore oculeus, barba maxima, iam corruituro similis est, etsi nondum corruit, ut in H et I ascriptum est *ΠΑΝΟΠ* (a dextra incipienti).

Iuxta eum vir senior constitit qui coronatus vestimentoque amictus dextrum brachium nudum protendit, cum in sinistra baculum teneat. Id quod primo aspectu clarum est, repraesentatam esse Argi mortem, hic praeterea literis ascriptis confirmatur, cum dubium esse non possit, quin illud in *Hερμες*, hoc in *Πανοπτες* supplendum sit. Argum vero non suo, sed apposito nomine vocari non perturbabit eos qui memores sunt picturae,[84] in qua coram Iunone Vulcanus et Mars pugnantes inter se picti sunt, ibi enim huic *Ἐνυαλιος*, illi *Δαιδαλος* ascriptum est. Accedit quod etiam apud scriptores Argus saepius hoc solum verbo significatur, cf. Eur. Phoen. 1113 *στικτοῖς Πανόπτην ὄμμασιν δεδορκότα.* Aristoph. eccles. v. 80 *τὴν τοῦ Πανόπτου διφθέραν ἐνημμένος.* Steph. Byzant. s. v. *Ἄργουρα· ἔστι καὶ τόπος τῆς Εὐβοίας Ἄργουρα, ὅπου δοκεῖ τὸν Πανόπτην Ἑρμῆς πεφονευκέναι.*[85] De tertio vero homine quid statuendum sit haud ita liquet. Nam quem nulla alia pictura respecta loci deum fortasse putaremus esse, quales saepe solent apparere, nunc postquam in H similem personam additam invenimus, quin etiam in nostra de Iove cogitemus facere non possumus. Sed in quo appellando antea non haesimus propter regium cultum, hic magnae oriuntur difficultates, praesertim cum baculus sceptri loco Iovi convenire non videatur. Sed sane parvi interest, utrum Iovem an deum loci intelligas: certe quod Io omnino hic non apposita est, gestus viri ad id de quo agitur, ad mortem Argi pertinet, qua re sententia mea quam de gestu viri in I proposui haud leviter confirmatur.

Si propositum meum de Ionis figura inquirendi servare volebam, haec pictura omnino negligenda erat, quod neque vaccae neque virginis cornigerae ullum in hac pictura vestigium invenitur, sed nolui omittere, quae certissime huc pertineret simulque sententiam meam comprobaret. Magis fortasse me vituperes quod ne aliam quidem ut omitterem a me impetrare potuerim. Apud Lénormant. él. céram. III, 97. edita est pictura lecythi, quam ipse pugnam Mercurii et Hippolyti gigantis esse dicit, obiter tantum addens, fortasse de morte Argi cogitari posse. Mercurius calceis alatis, tunica lorica gladio petaso instructus caduceum abiecit strictoque ense impetum facit in ho-

minem, qui utrum fugere an corruere velit discerni non potest, lancea tamen et scuto, si vere scutum est, ab ictibus Mercurii, qui se chlamyde circa sinistrum brachium convoluta tuitus est, se defendere studet. Huius in corpore circuli quidam conspiciuntur, qui me moverunt, cum primum inspicerem, ut Argi necem putarem me invenisse. Sed etiam atque etiam perlustrata imagine, praesertim cum cognoscerem Herculem aliosque talibus circulis maculatos esse,[86] ut corpus setosum indicaretur, malui rem in integro relinquere quam pictura maxime detrita et pessima huc adducta laudem, de qua sane disputari possit, mihi parare. Hoc addam: cornua super lacunam, qua totum caput et pectoris pars deleta sunt, eminentia vere ad galeam monstri pertinuisse, cum galeae cornibus ornatae etiam alibi inveniantur.[87]

Sed recte hic afferuntur duae picturae, quae rem sane singularem praebent. Argus in picturis, quas adhuc tractavimus, plerumque iuvenis sub specie, ita ut Ionis demum propter figuram cognoscendus esset (id quod in vasis quae ad posterius tempus pertinent, et in picturis parietum invenitur), saepe oculis super corpus sparsis totus oculeus, semel monstri in modum quippe terrae filius repraesentatus est (scilicet in vasis antiquioribus). In his vero quae nunc proponentur, bifrons apparet, quasi ut illustrentur verba Aegimii *καὶ οἱ ἐπίσκοπον Ἄργον ἵει κρατερόν τε μέγαν τε, τέτρασιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενον ἔνθα καὶ ἔνθα* (nam haec non de Argo aliis vasis [cf. p. 24] dicta esse, cui quatuor oculi in pectore et cruribus dati sunt, ut Avellino putavit, manifestum est). In altera nigro colore distincta (L)[88] Argus (.... *ΟΣ*) duobus capitibus barbatis praeditus, qui pellem supra tunicam cinxit, procumbens in genu dextram tollit quasi supplicaturus Mercurio (*ΗΕΡΜΕΣ*) qui gladio super caput elato iacenti ictum letalem infligere cupit, dum sinistra dextram Argi removere studet, ne quid ea impediatur. In sinistra parte post bovem satis tristem Iuno (*ΗΕΡΑ*) constitit, quae tunica usque ad pedes dependente amicta brachium utrumque porrigit, quasi perterrita custodis sui periculo, cui auxilium ferre non possit. Vaccae sub specie Ionem intelligendam esse, quamvis ei nihil ascriptum sit, iam manifestum est.

In altera (M)[89] Mercurius (rectius dixerim vir barbatus, cum nomen non legatur neque rebus is instructus appareat, quibus alibi indicatus esse solet, sed quoniam de significatione nemo dubius esse potest, malo eum statim nominare) barba insignis tunica et chlamyde vestitus et peronibus petasoque, sinistra manu dextram Argi corripit, dum dextra reducta cum gladio iam ictum adversario inferre videtur; is nudus excepta pelle, quae sinistrum humerum tegit, iam paene procumbens in genua clavo a Mercurii ictibus se defendere studet, dum sinistra puellam propere decurrentem retinere studet, quae sublatis manibus propter factum inopinatum caput vertit, recentis impedimenti causam quaerens. Hanc esse Ionem cornu inter crines obortum satis ostendit. Illum Argum esse non modo oculi per totum corpus sparsi produnt, sed praeterea etiam duplici facie, una barbata, altera iuvenili praeditus est; quae ubi coaluerunt, caput petaso tegitur. Negari non potest, varietatem quae inter utramque faciem intercedit primo aspectu miram esse: nullo tamen modo crediderim pictorem Iani Romani non imperitum ad eius figuram Argum suum formasse, id quod Avellino contendit.

Restat ut de pictura loquar, quae certe omnium huc pertinentium plurimas figuras ostendit, dico eam quae in vase Ruvano extat[90] (N). Mercurius cuius caput galea alata tegitur, indutus tunica et chlamyde, quam paene totam circa brachium laevum contorsit,[91] in dextra gladium stringens maximo impetu alatis pedibus ingreditur in virum nihil de repentino impetu cogitantem. Hunc Argum esse oculi quatuor in pectore et cruribus positi convincunt nec non pellis[92] et pedum quo instructus est. Caput fascia qua folia continentur ornatum in sinistram partem paullo deflexit, colloquio ut videtur occupatus mulierum super eum conspiciendarum. Iuxta viam quae Mercurio custodem aggressuro percurrenda est, Io consedit, quae nudo pectore, cum caput fascia et post eam cornibus simulque auribus ferinis insigne sit, in dextra cannam tenet filiae fluvii bene convenientem. Quod ad vultus eius pertinet nihil quod nunc agatur sentienti similis est. In inferiore parte picturae duo satyri collocati sunt, quorum alter ornando lepore occupatus est, cum

alter maxime perterritus improviso Mercurii adventu quasi ab eo sibi iam exitus immineat, humi prostratus est, optime naturam gentis suae exprimens et in laetitia et in tristitia semper immodicae. Reliquarum figurarum quae in superiore parte apparent, ante omnes insignis est vir barbatus, qui coronatus sceptrumque tenens nudo pectore in sinistra picturae parte consedit. Huius humero sinistro femina nititur sollenniter vestita, quae dextra ricinium tollit gestu in imaginibus frequentissimo; iuxta quam Amor alatus conspicitur. Ab altera viri parte femina sequitur item sollenniter amicta praeterea vero sceptro conspicua. Haec capite versus Argum inflexo dextram ad eum porrigit quasi cum illo collocuta; itemque quae sequitur femina colloquio custodis videtur occupata esse, etiam haec festive amicta, quamvis sceptro carens. Denique a tergo Argi mulier constitit, quae taeniam ut videtur Mercurio advenienti praebet; neque Amorem ibidem commorantem neglexerim.

Cum de actione deque personis primariis dubitari non posset, nam et Argus et Io et Mercurius, quos saepius solos invenimus, ita sunt distincti, ut in eorum denominatione nullus homo haerere posset, tamen de reliquis figuris maxima inter viros doctos exorta est discordia. Qui primus emisit picturam in publicum Gargallo Grimaldi propter hippocampos et lineas fluctuum in modum ductas, quibus vestes paene omnium ornatae sunt, de diis marinis cogitandum esse ratus virum sedentem Oceanum, feminam quae eo nititur Tethyn, alias Cererem et Proserpinam, Venerem (hanc propter Amorem vicinum) appellavit, sane oblitus se eodem sive maiore cum iure propter satyros leporemque infra adiectos de Baccho eiusque asseclis cogitare potuisse. Rectius alii de illis iudicaverunt, etsi non ex omni parte probanda proposuerunt. Id quidem non dubium esse potest, quin deos adesse putandum sit, quibus quasi de Olympo spectantibus in plurimis picturis superior pars concessa est. Quaerentibus vero qui potissimum dei huic spectaculo praesentes fingi potuerint, ultro Iupiter et Iuno obveniunt, quorum haec in L ille in H, fortasse etiam in K a nobis reperti sunt. Et hercle etiam in hac quam tractamus adsunt.

Vir enim ille sedens feminaque quae iuxta eum constitit uterque sceptro insignis ita ceteris antecellunt, ut inter deos de nullo cogitari possit nisi de Iove eiusque uxore. Cui interpretationi optime convenit, quod Iuno cum Argo cui Ionem custodiendam commiserat, colloquitur, quasi ut diligenter vaccam observet eum admonitura, simulque hoc modo compositio tragoediae simillima videtur, quod cum Argus fretus oculis viribusque suis adhortetur reginam brachio sublato, ne sollicita sit de custodia sua; circumspicere se enim omnia neque passurum esse ut vacca surripiatur, iam Mercurius adpropinquat stricto gladio, illum interficiendo paratus. Etiam altera femina quae humero Iovis nititur certe appellari potest, nam cum Iuno in alia parte appareat, cui magis decet cultus decorque vestium gestusque dextrae et amicissima ad summum deum applicatio quam Veneri Iovis filiae, cui semper indulget? quae cum patrem Ionis amore quondam excitaverit, nunc eius socia esse debet, ubi id agitur, ut custodia puellae amatae ab uxore Iovis imposita frangatur. Huic Amor quoque appositus bene convenit. Eam vero mulierem quae taenia instructa prope Argum cernitur, non multum diversam esse a Venere propter Amorem haud procul positum crediderunt. Lénormant aliique cum eam Suadelam vocent dicentes Suadelam Argi prioris uxorem (cf. schol. Eur. Phoen. 1116 *γράφει [Φερεκύδης] δὲ οὕτως· Ἄργος ὁ Διὸς γαμεῖ Πειθὼ τὴν Ὠκεανοῦ*) alteri Argo funem afferre, quo vinctam Ionem a fugiendo prohibeat, sane taeniam a fune discernere non possunt gestumque feminae falso interpretantur, quae non Argo, sed Mercurio adproperanti taeniam victoriae insigne porrigit. Hoc cum certum sit, de nomine amplius quaerere supersedere possumus, quoniam nunquam ita potest appellari, ut dubitationi nullus locus relictus sit.[93] Idem vero statuendum est de femina, quae cum Iunone coniuncta iuxta Argum constitit, dummodo ne cum Avellino de Parca cogites.[94]

Restat ut gemmam afferam quae idem fabulae momentum continet.[95] Haec (O) quod Argum iam necatum ostendit, maxime digna est quae hoc loco afferatur, ubi mox iam ad tertiam fabulae partem transituri sumus. Mercurius, quem galea peronesque alis instructi satis declarant, tunica manicata et

chlamyde amictus armatus est harpe, qua caput Argi, quod in sinistra tenet, videtur modo desecuisse. Is, per totum corpus oculis maculatus, quasi non omnis vita una cum capite perierit humi iacet superiore parte paullum erecta. Post quem Io vacca agitato cursu tristique ut videtur mugitu (oestro enim in lateribus insidente vexatur) decurrit. Denique in arbore, de qua Mercurius caduceum suspendit, pavo conspicitur, non ut Iuno praesens cogitetur, sed potius quod oculos Argi ne perirent regina coelestis in illius cauda collocasse dicitur.

Praeter has satis amplas imagines quoniam nihil quantum scio ad Argi mortem pertinet, iam de tertia fabulae parte agendum est, in qua narratur, quomodo Io longis erroribus defatigata tandem quietem invenerit. Ipsos errores ab artificibus esse tractatos nulla pictura ostendit; neque id mirabitur is qui legum artis peritus est. Quomodo enim pictor Ionem, quae secundum fabulas sine certa norma per terras errabat, significare potuisset, quibuscum hominibus composuisset? Accedit, id quod non minoris momenti est, quod eius errores paullatim, neque antiquissimis temporibus, de coelo in terram delapsos esse iam supra docui, ita ut artifici non res mythologicae sed paene historicae fingendae essent. Itaque cum constet, Graecos artifices multo magis argumentis ex mythologia petitis, deis, heroibus (in quibus etiam plurimas Olympionicarum statuas enumerare possis), quam rebus historicis studuisse, non mirum est quod duabus prioribus fabulae de Ione narratae partibus saepissime, quippe arcte ad mythologiam pertinentibus expressis, tertia prorsus neglecta sit: una enim solum pictura extat ad tertiam partem, adventum Ionis in Aegyptum referenda, et ea Pompeiana pictura, quas tum demum compositas esse notum est, cum ars prope interitum esset; illae vero in vasis reperiuntur multo ante factis. Qua de causa spero fore ut nunc recte Schoenii sententiam reiecisse videar, qui in hydria satis antiqua (K) mutationem Ionis in hominem sibi invenisse visus est.

In ea imagine, quae sola huc pertinet, (P) talia spectantur:[96] Io cornibus instructa, superiore corporis parte nuda, ita tamen, ut vestimentum circuli in modum post tergum efflatum

sit, per undas fertur a viro barbato, quem fluvii deum esse non modo totus habitus sed etiam aures ferinae produnt. Illa porrigit manum feminae, quae crinibus corona et loti flore ornatis, sollenniter vestita, in sinistra anguem tenens in rupe sedet, dextra advenam versus directa. Neque omittendum est, sinistrum mulieris sedentis pedem crocodilo niti. Prope hanc puer constitit nudus, qui loto ornatus dextra os tangit, infra hunc in tribus laterculis urna posita est, cuius ansa in modum serpentis formata est. In superiore vero picturae parte supra feminam sedentem duae figurae conspiciuntur, quarum cum una certe mulier sit, num altera quoque, discerni non potest. Utraque dextram sistro praeditam versus advenam protendunt, dum sinistra baculum vel caduceum et urnam tenent. Sinistrorsum vero spectanti in pila quadrata sphinx posita est, prope quam aqua lapides frutices conspiciuntur, dum a tergo figurarum rupes, bustum, arbor picta sunt.

Quae qictura quid sibi velit, haud multis explicationibus opus est. Io enim cornibus satis declarata in terram venisse fingitur, quam ignorare ne data quidem opera possis; ita clare loto anguibus crocodilo sphinge sistro Aegyptia terra significata est. Portatur a fluminis deo quem quin Nilum esse putet nemo dubitabit. Neque incolae eam recipere nolunt: ecce enim dea Aegypti[97] iuxta quam Harpocrates stat, porrecta manu se libenter eam recipere indicat, id quod etiam a duabus mulierculis confirmatur, quae sistro vehementer moto mox se Ionem Isidem veneraturas et culturas esse declarant.

Praeter hanc nihil extat quod huc referatur, nisi fortasse gemmam commemorare velis, quam cur potius omittendam esse putaverim mox indicabo.[98] Iupiter, cuius crines vetusto more dispositi sunt, obiter amictus vestimento ita ut pectus brachiumque laevum non cooperta sint, soleisque praeditus, dextram protendit, sinistram tollit. Ad eum Mercurius nudus, soleis galeaque alata et caduceo, cui item alae adiectae sunt, instructus bovem sinistra adducit. A tergo denique Iovis aquila apparet. Possis hanc lapidem hic proferre, cum putes Mercurium interfecto Argo adduxisse bovem ad Iovem, a quo de reliquis perdoceretur, possis quoque verba Tzetzae comparare,[99]

narrantis, consilio Iovis vaccam a Mercurio in Aethiopia custoditam esse, ne a Iunone detrimenti quid caperet, sed ego mihi nunquam persuadere possum gemmam hanc vere esse antiquam, non quod eam paene non interpretari possumus, id quod in tanta et literarum et monumentorum quae nobis supersunt exiguitate, scilicet si conferas cum eis quot quondam fuere, sane accidere potest, sed motus gestu Iovis qui de statua dei sceptrum tenentis videtur sumptus esse. Scalptorem vero antiquum gestum statuae expressisse, id quo explicatur, sceptrum, omisisse, verisimile non est. Adde quod utrique pedi annulus circumdatus est, quos scalptor addidisse videtur nescius annulos quos putabat, partem esse corrigiarum, quibus soleae pedibus astringi solent. Neque negligendum est, caduceum alatum saepius quidem ab antiquis factum esse, multo tamen magis ab artificibus recentioris aetatis usurpari.

Postquam omnes imagines, in quibus procul dubio Io repraesentata est, recensuimus et explicavimus, iam necesse est ut inde, quomodo illa ficta sit eruamus. Et in picturis quidem vasariis quater vaccae sub specie eam invenimus (in F. H. I. L.), sexies mulieris cornigerae (A. B. C. E. M. N.) in picturis vero parietum semper puella, cuius frons cornibus ornata est, nobis obvenit (in D. G. P.), et in gemma (O.) bovis sub figura. Eorum vasorum quae vaccam ostendunt, duo (F. et L.) nigro colore distincta sunt, reliqua (H et I) rubro, ea autem quae feminam cornibus praeditam habent, omnia rubras figuras ostendunt. Quid inde concludendum sit, satis apertum est. Io quae primis temporibus semper vaccae sub specie picta est (nam etiam H et I in quibus figurae rubrae inveniuntur, propter severiorem delineationem usque ad id tempus remiserim, quo pictores vasarii aut modo desierant nigro colore figuras implere, aut non modo nigris sed etiam rubris figuris eodem tempore urnas ornabant), paullatim sub virginis specie repraesentabatur, cui tamen cornua adderentur, id quod invenitur in vasis pulcherrimas figuras praebentibus, tum in eis quae paullatim deficiente arte picta sunt, deinde etiam in picturis parietum.[100] Sed gemmae post deletam paene artem scalptae (spero fore ut mecum de aetate gemmae consentias, quam ad ultima tempora

relego) pristinam formam rursus exhibent, Ione vaccae sub specie expressa. Sic etiam hic confirmatur norma et in literis et in monumentis Graecorum rectissima, posteriora tempora ad id refugere, quae prioribus usitata erant, neglecto medio tempore, quo inprimis pulchritudini studebant. Nam non potest negari, quicunque spreta bovis forma Ionem feminae in modum finxit, eum hoc fecisse, quod mallet pulchram mulierem, cuius in vultu affectus poterant exprimi, quam obsoletam vaccam omnium affectuum expertem formare. Posteriores vero ad pristinam formam redierunt, quod bovem se fingere posse crederent, vultus vero tristitia et aegritudine oppressos imitari non valerent.

Quaerentibus quo tempore pristina forma spreta nova Ionis reperta sit nihil certius statui potest, quamvis ab Herodoto adiuvemur. Qui cum dicat[101] Isidem Aegyptiorum eodem modo quo Ionem Graecorum repraesentari cornigeram (*βούκερως*), necesse est, eius temporibus mutationem illam iam factam fuisse. Neque tamen inde sequitur, nunquam postea sub bovis specie repraesentatam esse, nam si artifex eximius quid novavit, multum sane tempus praeterire solet, antequam novae res in vulgum dilatentur opificibusque non modo notae sed propriae reddantur. Neque tamen necesse est, ut ultra finem quinti seculi descendamus, quod omnia in quibus vacca Io invenitur vasa cum propter stilum severum tum propter literarum formas (invenitur *Η* spiritus, *Ε* pro *Η*, *Λ* pro *Γ* etc.) ante annum Euclidis ponenda sunt. Accuratius fortasse de tempore statuere possemus, si in reliquis urnis, ubi puella cornigera extat, literae servatae essent. Neque quo tempore pristinam formam rursus amplexi sint licet enucleare, quod definiri non potest quot anni inter parietum picturas et gemmas interpositi sint, quas ad ultima tempora esse relegandas quisque intelligit, cui seculo attribuendae sint haud ita facile invenerit.

Quas hic leges de Ionis forma proposui non ita accipias, quasi dixerim, omnino non potuisse postquam muliebris habitus evicisset ferinam formam servari, id quod perverse dictum esset, quod non modo nostris temporibus, sed etiam apud Graecos fuerunt qui spretis quae vulgo accepta essent suis modo

cogitationibus obedirent. Itaque regula quam proposui ne tum quidem pro falsa habenda esset, si monumentum inveniretur quod abscederet ab his legibus, sed primum tales viri multo rarius apud illos inveniuntur, tum de his omnino non loquimur (quamvis hac modestia non opus esset, nam neque adhuc imago reperta est a regula nostra diversa, neque unquam, credo, invenietur). Hoc igitur pro certo teneas eis temporibus, quibus ars Graeciae maxime floruit, paene usque ad eius interitum Ioni muliebrem formam attributam esse ita tamen ut cornibus parvulis in fronte positis quodammodo pristinae figurae recordarentur.

Tali modo quadam regula instructi iam ad eas imagines progredimur, quae Ionem solam praebent sive praebere dicuntur, in quibus tamen maxima semper prudentia adhibenda est, ne in ea, quae aliis stipata ignorari non poterat, sola recognoscenda erremus.

Inter ea quae huc pertinent inprimis afferenda est gemma iam per se pulcherrima et insuper ascripto Dioscuridis nomine insignis.[102] Conspicitur caput mulieris adversa fronte, sed paullum ad partem sinistram deflexum, cuius crines fascia, collum torque ornata sunt. Cornibus duobus parvis, quae ex huius crinibus proveniunt motus Bracci Isidem expressam esse putavit, et quidem Cleopatram Isidis sub habitu (narrant enim Antonium et Cleopatram hanc Isidis, illum Bacchi vicibus functos esse), Visconti vero aliique rectius Ionem interpretati sunt, ea de causa, quod Isis sine attributis suis sistro loti flore aliis repraesentata prorsus incognita est. Neque gemmis, quas e gypso expressas Cades exhibet (impromte gemmarie n. 161 et 162) (quarum n. 162 certe Dioscuridis exemplar imitatur), si vere antiquae sunt, aliam atque Ionem innui putaverim. Quibuscum componi potest lapis[103] quae haud multum distat; in fronte enim humanae faciei cornua duo apparent, quae bene ad Ionem possunt referri. Sed nolo omittere, vultus ita fictos esse, ut dubius esse possis, utrum virum an feminam intelligas, id quod Petersburgianos movit, ut Minotauri faciem scalptam esse contenderent. Sed quoniam de eo cogitari non potest, nam quotiescunque Minotauri figuram inveni, semper capite tauri praeditam

vidi, nunquam facie humana cornibus distincta (et sane artifices non contenti esse poterant monstro, quod capite bubulo praeditum vere fuisse crederent, cornibus solum indicato)[104] quoniam igitur de Minotauro cogitari nequit, ego Ionis figuram recognoscere velim, scalptoris esse culpa factum ratus, ut de genere dubii essemus (pessime enim gemmam scalptam esse primus aspectus prodit). Recte etiam de Ione interpretantur imaginem, quae in antiquitatibus Herculanensibus[105] expressa est, dico caput muliebre, quod ex aere factum et in scuto rotundo fixum inter crines duo cornua ostendit. Itemque caput marmoreum, quod in Britannia extat, ita compositum, ut in statuam capite carentem inmittatur, bene hic afferri potest, quoniam propter cornua super frontem faciei muliebris apparentia dubitare non possumus quin Io intelligenda sit.[106] Sed nego figuram testaceam quae nunc in museo Karlsruhensi extat, ad hanc fabulam pertinere.[107] Corpus bubulae cum muliebri ita inter se conglutinata sunt, ut loco capitis pectorisque vaccae caput mulieris humeri pectora brachia appareant, reliqua bovis sint membra. Quae feminae sunt, tunica velantur tenui, et infra pectus fascia, ut quasi abscondatur regio, ubi mulier desinit, vacca incipit. Ista femina brachia protendit, quae exceptis manibus bene servata sunt, caput vero eius, ex quo crines in humeros dependent, non modo bubulis, sed etiam duobus longis cornibus caprinis praeditum est; circa ea cornua, quae bovis propria sunt, fascia voluta est, quae in sinistra parte usque ad crus bovis dependet, cum in altera, ut videtur, defricta sit. Gerhardius qui primus hanc imaginem protulit, Ionem cum Prometheo colloquentem intelligendam esse ratus est. Sed ut statuamus, vere Ionem hac figura significari, quis sibi persuadebit, ab Aeschylo tale monstrum in theatrum immissum esse? quomodo hoc componi, quomodo per scenam moveri poterat? Recordatus Inachi filiam citato cursu in scenam inferri, ita ut choro ne tempus quidem relictum sit eius adventum indicare, cum aspicias grave hoc et immobile monstrum, certe non postulabis ut Gerhardii sententia allatis causis refellatur. Facilius sane aliquis sibi fingere posset, puellae mutatae figuram simili modo ab Aeschylo repraesentatam esse, quo in comoedia Cen-

tauri finguntur, respicio imaginem, in qua duo homines alter faciem humanam alter inflexo corpore corpus equinum Centauri imitantur.[108] Sed ne verbo quidem apud Aeschylum indicatur, Ionem aliter formatam fuisse, quam saepissime invenimus, scilicet sub specie mulieris cornigerae; vel diserte haec forma confirmatur verbis Ionis (v. 588) *κλύεις φθέγμα τᾶς βούκερω παρθένου.* Ad tragoediam igitur certe pertinet (quamvis non necesse sit, Aeschyli Prometheum spectari; multis enim tragoediis Ionem tractatam fuisse iam supra commemoravimus) persona testacea in Sicilia reperta[109] faciem mulieris cornibus duobus ornatae exhibens vultusque tragoedia satis dignos referens, nullo autem modo Gerhardi semivacca. Quin contenderim, poetas tragicos cum vererentur vaccam mugientem in scenam mittere, auctores extitisse formae Ionis mutatae, vel si alius hoc invenerat, certe res novas plebi acceptiores reddidisse. Nihil igitur ad theatrum pertinet Gerhardi figura. Sed cur Io? quomodo hanc cornua caprina decent et fascia non in modum funis quo alligetur sed ornamenti loco dependens? Quae cum explicari non possint, facere non possum quin figuram sane mirificam ex hoc agmine depellam. Sed noli me falso interpretari; non statuo simulacrum nullo modo ad Ionem referendum esse, cum optime mihi conscius sim fieri potuisse ut artifex novis rebus studens cum aliter, atque priores feminae et vaccae corpus in unum confundere vellet, tale quid componeret de Ione cogitans, sed id volo, nobis in tali re propter analogiam nesciendi artem adhibendam esse. Idem quoque statuendum est in figura testacea, quam Bröndsted ex Sicilia secum deportavit;[110] caput feminae pulcherrimae adversa fronte repraesentatae, cuius crines auro illiti, aures insignibus caeruleis ornatae sunt, super frontem ostendit duo cornua alasque duas, item caeruleo colore decorata. Quamvis non verisimile sit, Medusam esse intelligendam, ut Bröndsted vult (non cornua, sed capita serpentum recens ortarum illa tubera suspicit esse, id quod non potest accipi), tamen idem recte arbitratus est propter alas de Ione non esse cogitandum, alas enim, non aures ferinas quales in O invenimus fictas esse pro certo affirmat. Igitur in hoc quoque monumento potius igno-

rare, quam coniiciendo errare volumus. Sed nulla est causa, cur vas in formam capitis muliebris additis cornibus formatum de Ione non interpretemur;[111] nam non intelligo, quare cum Gerhardio potius de Proserpina cogitandum sit. Pro certo quidem idem affirmare non ausim de capite testaceo Berolinensi,[112] quam testam ad exornandum vas adhibitam esse coniicio, sive in ansa sive in ore urnae posita erat, nam non ut figurae testaceae solent ex duabus partibus composita est ita ut inane intus relictum sit sed solida est testa, cuius pars inferior acuta est, quasi eam figulus in aliud quid immittere voluerit. Caput muliebre haud ita multa arte compositum, cuius color temporis invidia detritus est, in summa fronte duo cornua ostendit, quae boum propria sunt, circa quae nisi fallor fascicula tenuis voluta est rubro colore distincta, in pectore pedes pellis nodo iuncti sunt, quae pellis non modo tergum, sed etiam posteriorem capitis partem tegit (null enim crines distincti sunt) inque frontem demum desinit, ita ut cornua pellis, non mulieris esse videantur. Hoc singulare est, quod ubicunque Ionem reperimus semper cornua ex capite puellae ipsius orta sunt, cum hic induta demum pelle cornigera sit. Itaque haec res prohibet, quominus pro certo Ionem agnoscamus, neque tamen differentia tanta est, ut omnino de illa cogitari non possit. Memineris saepissime Actaeona non modo cornibus sed etiam pelle cervi designari. Quid, si figulus simili modo etiam Ioni pellem bubulam addidit? Sed parvi interest, utrum hoc concedas an non. Nam neque novo hoc illius simulacro aliquid commodi paratur, neque detrimentum accipimus hoc omisso. Ego tamen omittere nolui ne negligentia mihi comprobetur; eadem de causa etiam commemoro, in nummis Gazaeis inde a Traiani temporibus feminam ab aliis non diversam inveniri cui ascriptum sit *ΕΙΩ* sive *ΙΩ*;[113] de his loqui pluribus longum est, cum sperari non possit, fructum inde proventurum esse.

Postquam omnibus quae mihi innotuerunt Ionis simulacris recensitis quae fuerit eius forma quantum fieri potuit cognovimus, iam erit tempus ut de eis agamus, quae ab antiquis commemorantur, sed non accuratius describuntur. Et primum

quidem Pausaniae ratio est habenda, qui narrat (III. 18, 7) in solio Appollinis Amyclaei Ionem fictam fuisse despicientem versus Ionem iam in vaccam mutatam. Hanc bovis sub specie ibi formatam esse optime congruit cum eis quae supra notavimus quinto circiter seculo novatum esse in ea aliquid, cum solium Amyclaeum Bathyclis opus circa ol. 60 exstructum esse verisimile sit (cf. Brunn, Gesch. d. gr. K. I, 53). Quaerentibus vero quomodo figurae ibi dispositae fuerint primum explorandum est num Pausanias accurate omnes figuras enumerasse censendus sit. Id quod mihi non videtur, nam non id egit, ut omnes nobis figuras describeret, sed eas solum commemoravit, quae ad argumentum significandum satis essent. Sed si relicto Pausania imaginem nobis proponere conamur, antea multo studio opus est, ne propter ceteras repraesentationes erremus. Quoniam enim has inter se ita dispositas esse contendunt, ut non modo imago imagini, sed figura figurae responderet, sane necesse est ut cognoscamus, quae Ionis imagini opposita fuerit, cuius ex figuris de nostra quid comperire fortasse liceat Et Brunnius quidem (Mus. Rhen. Welck. V, 328) Bellerophontis pugnam Ionis fabulae respondere dixit, quod quoniam accuratius examinare non licet, iam recipiendum est. Quae pugna cum per se duas figuras exigat, Bellerophontis et Chimaerae, tamen etiam tertia Minerva addi poterat, quae saepius invenitur. Altera enim solas Iunonem et Ionem vaccam repraesentatas fuisse, mihi persuadere non possum. Femina enim prope bovem adstante quis de Iunone Ionis adversaria cogitaverit, nisi nominibus ascriptis aut addito Argo custode? certe igitur, quoniam nomina non ascripta fuerunt, id quod Pausanias non neglexisset, Argus custos adfuit, oculis suis sive natura bestiali (ut in F) facile cognitu, et fingi potest fune vaccam alligatam tenuisse, cum in superiore parte sublatis manibus Iuno eum admoneret, ut bene custodiret.

Aliter de Dinomenis statua censendum est. Pausanias I, 25, 1 Ionis et Callistonis statuas se in arce Atheniensium conspexisse dicit opera Dinomenis,[114] quas Welckerus non sub alia forma, sed humana specie repraesentatas propter regium genus inter se coniunctas esse dicit, id quod coniici poterat,

confirmari non potest. Nam quid Pausaniam movit, ut de Ione et Callistone, non de aliis cogitaret, cum statuas mulierum regium genus prae se ferentium spectaret? Aut cognoscebantur rebus quibusdam ad mutatam formam pertinentibus, aut nominibus ascriptis declaratae erant. Sed cum nomina quibus quae sit statua indicatur, rarissime et solum eis temporibus quibus ars nondum exculta esset ascriberentur statuis (sic Pausanias V, 25, 5 narrat Agamemnoni, Onatae operi, et VI, 10, 2 equis Cleosthenis, Ageladae operi nomina inscripta fuisse), de aliis rebus cogitandum est, quibus quae essent mulieres statim cognosci posset. Accedit quod Pausanias de inscriptione nihil refert, qui tamen, id quod mihi videtur, in afferendis talibus rebus satis diligens est (id quod alio loco accuratius erit demonstrandum). Neque putari potest, bovem et ursum propositum fuisse, propter verba Pausaniae *γυναῖκας δὲ πλησίον κτλ.* Nihil igitur restat quam ut Ionem sub specie mulieris cornibus in fronte praeditae, Callistonem aliquid ursi (hoc accuratius definire non audeo) prae se ferentem fictas fuisse. Bene igitur haec quoque ratio temporum congruit cum ea quam supra proposuimus, quod Deinomenes circa ol. 95 (Plin. XXXIV, 50) floruit, quo tempore iam diu vetusta Ionis forma spreta erat.[115] De Niciae vero pictura quam supra laudavimus, nihil nobis traditum est, nisi nomen Ionis, etsi ex consuetudine eius (certamina enim mavult pingere quam argumenta quieta tractare[116]) coniicere licet, caedem Argi ab eo pictam esse, quod momentum actione plenum est.

Praeter haec statua Ionis a Philostrato commemoratur (*τὰ εἰς τὸν Τυανέα Ἀπολλ.* 23 *ἀφικνεῖται ἐς τὴν ἀρχαίαν Νῖνον, ἐν ᾗ ἄγαλμα ἵδρυται τρόπον βάρβαρον, ἔστι δὲ ἄρα Ἰὼ ἡ Ἰνάχου καὶ κέρατα τῶν κροτάφων ἐκκρούει μικρὰ καὶ οἷον μέλλοντα*), quae quod huc non pertinet (de Syria enim dea simili modo formata agi clarum est) iam valeat.

Restat ut de imaginibus loquamur, in quibus fingendis num poetae vere picturas spectaverint quaerendum est. Et quidem Euripides (Phoen. 1113) narrat clipeo Hippomedontis Argum affictum fuisse oculis per totum corpus maculatum, in quo describendo sane ab exemplis pictorum non recessit (in I. L.

N. O. P. item apparet); dummodo ne credas verbis sequentibus (*τὰ μὲν σὺν ἄστρων ἐπιτολαῖσιν ὄμματα βλέποντα, τὰ δὲ κρύπτοντα δυνόντων μέτα*) eum indicare, in scuto oculos ita instructos esse, ut invicem partim aperti essent partim conniverent: addit haec, ut naturam monstri accuratius describat, non quod in scuto ficta esse putet. Neque mirum est quod unus Argus in scuto positus esse dicatur cuius figura aptissima esset ad terrorem movendum. Aliter de Moscho statuerim, qui (I 11) fabulam Ionis in canistro Europae ornamenti loco adhibitam esse narrat, qui Homeri rationem secutus (velut figuras ex variis metallis factas vult) describit quae ficta non erant. Tria tamen possunt recognoscere momenta, primum transitus Ionis per mare coram magna frequentia hominum, alterum ubi ea pristinam formam recuperat, tertium sub ansis formatum, ubi Mercurius prope Argi occisi corpus constitit et pavo ex illius sanguine ortus canistri ora cauda sua circumdat. Ut taceas de verbis motionem et actionem significantibus, his enim poeta uti poterat in describenda imagine, iam quod momenta duo sibi elegit, a quibus ars veterum abhorruit, transitum per mare et recuperationem pristinae formae, non putaverim descripsisse eum imagines vere extantes. Nam de gemma (O) quae cum tertio momento bene comparanda est, possis coniicere eam propter verba Moschi scalptam esse, quae nullo modo propter illam scripta sunt. Virgilius vero, qui aen. VII, 789 Turni clipeum describit „at levem clipeum sublatis cornibus Io auro insignibat, iam saetis obsita, iam bos, argumentum ingens, et custos virginis Argus caelataque amnem fundens pater Inachus urna,“ nihil affert, quod fingi non potuerit, etsi fluvius Inachus illic additus in picturis quae hodie extant, non invenitur.

ANNOTATIONES.

[1] *B.* 103. *Π.* 181. *Φ.* 497. *Ω.* 24. 109. 153. 182. 339. 345. *α.* 38. 84 etc.

[2] Id quod veteres iam proposuerunt, cf. schol. ad *B.* 103. Etym. magn. s. v. *Ἀργειφόντης.* Appollod. II, 1, 3. Alii quidem non modo nostrae aetatis viri sed etiam antiqui falsam hanc etymologiam esse rati alia protulerunt, quae quod verisimilia non sunt, accipi non possunt.

[3] Multi vel ab Hesiodo primo fabulam quam ab Homero alienam esse sibi persuaserant, fictam esse rati sunt, ut Hesych. I, pag. 339.

[4] Schol. ad Eur. Phoeniss. 1116. Steph. Byz. s. v. *Ἀβαντίς.*

[5] Philolog. XV, p. 13 Nam etsi ea loca, ubi Hesiodi hanc fabulam narrantis nomen invenitur, ad Aegimium trahi possunt, qui Hesiodeum charactera prae se tulit, tamen verba Apollodori (II, 1, 3) *Ἡσίοδος δὲ καὶ Ἀκουσίλαος Πειρῆνος αὐτήν φασιν εἶναι*, collata cum sequentibus *Κέρκωψ δὲ Ἄργου καὶ Ἰσμήνης λέγει υἱὸν*, aliud carmen ab Aegimio cuius Cercops auctor ferebatur diversum innuere videntur.

[6] Apollod. II, 1, 3.

[7] Si Schinckium audis (Ersch u. Gruber, encycl. XX, p. 53). Prometheus non putat, se, sed Ionem ab Hercule liberatum iri.

[8] Quamvis satis ampla fragmenta nobis relicta sint (leguntur apud Nauckium, tragico. Graecor. frgm. p. 149) 25 fragmenta, uno tamen omisso quod a schol. Paris. ad Apoll. Rhod. arg. I, 580 praebetur: *ὅτι δὲ οἱ αὐτοὶ καὶ Πελασγοὶ καὶ Ἀργεῖοι, καὶ Σοφοκλῆς ἐν Ἰνάχῳ μαρτυρεῖ*), tamen de dispositione fabulae nihil certi dici potest.

[9] Welckerus, qui prius coniecerat (nachträge zur trilogie p. 307), Chaeremonis Ionem satyricum drama fuisse, imagine quadam motus, in qua satyrus conspicitur, mox ipse suam abiecit sententiam (griech. trag. III, 1090) ratus, non esse verisimile ad recitandum scriptas esse satyricas fabulas.

[10] Athen. XIV, p. 657. a *Πλάτων Ἰοῖ.*

[11] Si vera est Meinekii coniectura (comic. Graec. fragm. 674), apud Athen. II. p. 245. c. pro *ἐν Νηρεῦ* scribendum esse *ἐν Ἰοῖ.*

[12] Etiam huic Meinekius primus Ionem restituit scribendo Athen. VI, 261. f. *καὶ Σαννυρίων. Ἰοῖ* libri enim quod habent *Ποῖ* ferri non potest.

[13] Suidas s. v. *Καλλίμαχος* item Moschus id. I, 44. posteriorum autem plurime Nonnus (in Dionysiacis) fatorum quae Io perpessa est, mentionem fecit.

[14] Praeter Apollodorum (II, 1, 3), ut taceam Palaephatum Parthenium Eratosthenem alios qui quantopere in collectionibus suis Iovis amores respexerint, ex reliquiis eorum cognosci potest (cf. Westermann, mythogr. 153, 2. 249, 5. 305, 11. 324, 22, 347, 27. 373, 36) etiam Lucianus diserte omnia enarrat (dial. deor. 3. marin. 7.).

[15] Virg. Aen. VII, 789. cf. georg. III, 152 quaeque Servius ibi notat.

[16] Ovid. metam. I, 583—747. cf. IX, 686.

[17] Ionem Attii, cuius tria fragmenta supersunt minutissima, eandem atque Prometheum tragoediam esse Ribbeckius sibi persuasit. (O. Ribbeck, tragic. Latin. rell. p. 300) cuius verba ut ego ei adstipularer non potuerunt efficere. Quamvis verisimile sit, Attium maximam partem Graecam tragoediam expressisse, tamen quem secutus sit in tanta inopia fragmentorum illustrari nequit, etsi id quidem mihi Welckerus (gr. trag. III, 1090) recte statuisse videtur de Aeschyleo Prometheo non esse cogitandum. Neque Chaeremonis apta videtur fuisse quam imitaretur quippe quae non destinata esset ut publice ageretur.

[18] Hor. ep. II, 3, 123.

[19] Sunt qui ne sibi quidem constent in appellandis Ionis parentibus, velut Paus. I, 25, 1 Inachum dicit, II, 16, 1 vero Iasum. Item de Argo custode varia afferunt, quem a Terra, ab Arestore, ab Argo genitum volunt.

[20] Aesch. Suppl. 278. Apollod. II, 1, 3. Palaeph. de incred. 43. (Westermann, 305, 11). Anonymi de incred. 15. (Westerm. 324, 22) quo munere functa etiam dicitur *Καλλίθυια* sive *Καλλιθόη*, cf. Plutarch. de Daed. apud Euseb. pr. ev. 3 et Hesych. s. v. *Ἰώ*. Clem. Alex. strom. I, p. 418.

[21] Maiores Iûs vel primi Iunonem coluisse eiusque statuam consecrasse dicuntur, cf. Hyg. fab. 143. Euseb. prot. ev. p. 3.

[22] Apud Ovid. met. I, 599 non ut Prellerus putat (gr. myth. II, 40 n. 4) sub nebulae specie Iupiter Ionem amplectitur, sed caligine inducta terras occuluisse dicitur, scilicet ne furtum deprenderetur.

[23] Hesiodus inprimis huius fabulae auctor est, cf. Apoll. II, 1, 3 ubi haec videntur innui. Iupiter se cum vacca consuetudinem non habuisse iurare sane potuit, quam tamen cum virgine vere habuerat. Ceterum Hesiodi narrationem, ab ipso Iove puellam mutatam esse, plerique secuti sunt, cf. schol. ad Eur. Phoen. 291. Ovid. met. I, 610. Serv. ad Virg. georg. III, 152. mythogr. lat. I, 18. Itaque Panofka, (Argos Panoptes, acta soc. lit. Berol. 1837. p. 88) fallitur cum dicat, ex Apollodori sententia Iovem, ex aliorum Iunonem mutationis auctorem fuisse. Ceterum vacca diserte albo colore dicitur fuisse.

[24] Praeter Aeschylum (Suppl. 284) praecipue Lucianus talia tradit.

[25] Cf. Nonnum Dion. I, 334. ubi Iuno maritum propter Europae amorem sub tauri figura conspicuum increpat ipsiusque Ionis vaccae meminit. In Aeschyl. supplicibus v. 286 deus tauri specie assumpta bubulam compressisse dicitur.

[26] De Argi genere vide n. 19. Qua ratione oculis instructus fuerit, maxima inter scriptores discrepantia est. Auctor enim Aegimii cum ei quatuor oculos attribuat (schol. ad Eur. Phoen. 116). Pherecydes tres solum sibi videtur finxisse (l. l. *Ἄργος ᾧ Ἥρα ὀφθαλμὸν τίθησιν ἐν τῷ ἰνίῳ καὶ τὸν ὕπνον ἐξαιρεῖται*). Hugium enim (untersuchungen über den mythus der frühesten völker p. 164) errare, qui unum oculum in summo capite positum intelligendum esse arbitratur, manifestum est. Melius certe custodiisset Ionem duobus suis oculis instructus, quam uno, et eo in vertice posito. Ovidius

(I, 625) scriptoresque myth. lat. I, 18 Argo centum oculos addunt, plerique tamen numero omisso permultis omnino exornatum fuisse narrant sive in capite solum positis (Macrob. sat. I, 19, 12) sive per totum corpus dispersis (Aesch. Prom. 679. Eur. Phoen. 1115. Plaut. aulul. III, 6, 19. Mosch. I, 57 (nam quod pavonem ex eius sanguine ortum esse tradit, de multis oculis videtur cogitasse). Horum partem connivisse, partem vigilias egisse Euripides auctor est (Phoen. 1116.) id quod si scholiastam audis, primus ille invenit (*ἰδίως Εὐριπίδης κτλ.*).

[27] Plerique hoc in nemore Iunonis inter Argos Mycenasque situm in loco qui *Νεμέα* vocatur (Et. mag. s. v. *Ἀφέσιος*. Lucian. dial. de. 3), alii contra in Euboea factum esse narrant (Et. mag. s. v. *Εὔβοια*, Steph. Byz. s. v. *Ἀβαντίς*. cf. Steph. Byz. s. v. *Ἄργουρα* et Strabo X, 1, 3.)

[28] Plin. XVI. 239 „Argis olea etiam nunc durare dicitur, ad quam Io in vaccam mutatam Argus adligaverit," his permoti nonnulli ap. Apoll. II, 1, 3 (*ἥτις ἐν τῷ Μυκηναίων ὑπῆρχεν ἄλσει*) *ὑπάρχει* scribere maluerunt, fortasse recte.

[29] Memoratu dignum est, apud Suidam s. v. *Ἰώ* non distincte Iovem nominari, legitur ibi *Ἰώ, ἥντινα Πῆκος ὁ καὶ Ζεὺς ἥρπασε.* Quid iste *Πῆκος* (sive Picus?) sibi velit, omnino nescio.

[30] Qua ratione Argus interfectus sit, non inter omnes constat. Sunt qui narrent, Mercurium syringe nuper reperta (Ovid. I, 687) oculos eius consopivisse, tum dormientem necavisse. Unus mythograph. lat. (III, 9, 4) Argum oculis falce erutis occisum esse contendit. Paullo longius recedunt ei qui referunt Mercurium de nece custodis non cogitasse sed somno eius oculis infuso bovem abducere voluisse, quod quominus faceret cum impediretur temeritate avis accipitri (sive iuvenis postea propter facinus in accipitrum mutati, cf. Natalis p. 500) Argum excitantis, eum lapidum iniectione interfecisse (Apollod. II, 1, 3).

[31] Mosch. I, 59 mythogr. lat. II, 5. cf. schol. ad Aristoph. av. 102. Aesch. Prom. 589 *οἰστροδίνητος*, 682 et Soph. El. 11 *οἰστροπλήξ*.

[32] Dicitur Iuno oestrum sive, secundum eorum sententiam, qui altius cogitant, formidinem ei immisisse. Ipsa Io apud Aeschyl. Prom. 565 se umbra Argi occisi vexari profitetur.

[33] Falso enim esse eorum sententiam, qui ab Aeschylo Prometheum in Caucaso collocatum volunt, iam dudum cognitum est. Cum isto tamen solus Aeschylus Ionem congredientem facit.

[34] Enarrat ei Prometheus primum, quas iam terras permigraverit, tum quae deinde ei superandae sint. Quamvis iam multi in id incubuerint, ut ex Aeschyli verbis Ionis errores cognoscerent simulque quae fuisset antiquis scientia geographiae enuclearent (cf. Welcker, Aeschyl. tril. p. 127. G. Hermann, Aesch. II, 152 quique ibi alii nominantur), nulla tamen adhuc opinio ita evicit, ut iuxta eam reliquae nihil valerent (neque unquam id fiet, quoniam multae apud Aeschylum lacunae certius quid statui vetant). Itaque Ionem solam errare malui, quam ut ipse eius comes in vagando essem, praesertim cum, id quod postea demonstrabitur, toti errores in terra singulisque locis posteriore tempore fixi essent et a proposito meo prorsus alieni.

[35] Apud Apollod. l. l. Iuno non vult se praebere tam benignam, quae Curetas permovisse dicitur ut Ionem puero eius surrepto denuo per terras vagari cogerent.

[36] Aesch. Suppl. 297. Mosch. I, 50.

[37] Hygin. 145. Lucian. d. d. 3.

[38] Quae adhuc omisimus, breviter commemoranda sunt. Inprimis apud Aeschylum (Prom. 647) fabula prorsus aliter narratur. Io somniis excitata ut ad prata Lernaea proficisceretur cupidini Iovis satisfactura, patri omnia enarravit, qui oraculo rogato quid faciendum esset, responsum tulit: expelleret filiam, nisi domum funditus Iovis fulminibus everti vellet. Tali modo perterritus puellam quamvis invitus expulit, quae statim bovis specie assumpta ab Argo custodita est, qui cum subito leto datus esset, illa oestro et custodis umbra per terras et maria pulsa est, donec in Aegyptum perveniret. Talia Aeschylus. Secundum Suidam vero (s. v. Ἰώ) Io a Iove compressa et filiam enixa, cum eam puderet amissae pudicitiae, in montem Silpium fugit ibique obiit. Quae cum parentes comperissent, ara consecrata per annum sollennia eius egerunt. Neque quae Tzetzes (ad Lycophr. 835) affert, Mercurium iussu Iovis vaccam in Aethiopia custodisse, ne a Iunone detrimentum ei iniungeretur, cum fabula vulgari congruunt. At cave ne propter eiusdem Tzetzae verba (ad Lyc. 836) *ἄλλος δέ τις πάλω φησὶν ὅτι ἐκεῖ* (in Andromedae patria, i. e. in Aethiopia) *ἡ Ἰὼ τὸν Ἄργον νικήσασα ἄνθρωπος γέγονε* concludas, aliam innui fabulam, cum hic ipsa Io Argum vicisse dicatur, illud enim *νικήσασα* nihil sibi vult, quam ut liberatam esse Ionem Argi custodia exprimatur.

[39] Cf. Creuzer, symbol. (ed. III) II, 298. Stuhr, religionssyst. d. Hellenen p. 42. 158. 351. Hug, untersuchungen p. 164. Böttiger, kunstmythol. II, 277. G. Hermann, dissert. de histor. Gr. prim. (op. II, 201). Gerhard, mytholog. (v. indic. s. v. Io).

[40] Welckerus (Aeschyl. tril. p. 127) derivandum putat esse verbum ab *εἶμι*, *ἴω*, ut motio lunae per coelum errantis significetur, praeeunte, quem Welckerus non affert, Clemente Alexandrino strom. I, 21 §. 106, quam etymologiam ut confirmet, *Ὑπερίων* et *Ἀμφίων* nomina affert, quae quomodo cum *εἶμι* componi possint non intelligo. Nam etsi Aristarchi auctoritate Welckeri sententia nititur, tamen neque Aristarchum neque omnino veteres quid in etymologia valere iam diu cognitum est. Itaque abiiciamus hanc derivationem, quam veram esse et linguae leges et prosodiae vetant, rati *Ὑπερίονα* simplici modo ex verbo *ὑπερής* (adiect. adverbii *ὑπέρ*) formatum esse. Item verbo *Ἰώ* nihil contingit verbum *ἰέναι* propter prosodiam. Alii aliter, neque tamen, id quod scio, melius, cf. Lehrs de Aristarch. stud. Hom. (ed. II) p. 464.

[41] Neque alienum est, Ionem simulatque feminae sub specie colebatur luna Iunoni sacerdotis loco additam esse. Uxor enim Ionis iam antiquissimis temporibus summa Argivorum dea erat, ita ut facile alia dea eodem in loco culta ei subiungi posset.

[42] Macrob. sat. I, 19, 12.

[43] Inprimis Bosporus Thracius vocatus esse dicitur propter vaccae per mare transitum. Colebant Macedones sive Thracii in hac regione habitantes Hecatam *Φωσφόρον*, quam propter linguae gravitatem *Βοσπόρον* appellabant, ex eiusque nomine mare adiacens vocabant. Cuius rei cum paullatim memoria e mentibus evanuisset, nomen vero mansisset, Ionem bovem bene sibi invenisse visi sunt, ex qua fretum dictum esset. Sed neglectis nominibus etiam alia causa fuit cur Io modo in hac modo in illa regione versata esse diceretur, namque cum illa bovis sub specie celebraretur, multi eam suas regiones adiisse concluserunt ex bovis ibi cultae figura, sub qua non Io sed terrae fertilitas intelligebatur, quam sub vaccae specie pictam esse notum est. Id quod Byzantiis, apud quos vaccae figuram sacram fuisse nummi ostendunt (cf. Pinder, ann. dell' inst. VI, 309. tav. d'agg. G.), Hecatam venerantibus *Φωσφόρον* accessit ut de Ione cogitarent. Eodem modo etiam ad Antiochenos (Muller de antiqu. Ant. p. 18.) Gazaeosque (Stark, forschungen zur gesch. des hell. orients, vol. I. Gaza, p. 585) Io videtur intrasse. Quin etiam Triptolemum cum ea coniunxerunt, narrantes eum ut Ionem quaereret per terras missum esse, quaeque alia sibi finxerunt posteriores omnia permiscentes, cf. Strabo, XVI, 750. Westermann, mythogr. 153, 2.

[44] Scripserunt de imaginibus ad Ionis fabulam pertinentibus inprimis Panofka (Argos Panoptes, act. soc. lit. Berol. 1837 p. 81 seq.) Gargallo Grimaldi (ann. dell' inst. 1838 p. 253). Giamp. Secchi (ann. 1838 p. 312). Em. Braun (ann. 1838 p. 328). Ed. Vinet (revue archéol. 1846, III, p. 309). Ed. Gerhard (Myken. alterthum. programm zum Winkelmannsf. 1850). R. Schöne, (ann. 1865 p. 147). qui obiter tantum aliquid attulerunt, in notis nominabuntur.

[45] *A.* Hydria rubris figuris ornata, quae ad Anxiam oppidum Lucaniae reperta ab Ingenheimio comite quondam empta est, nunc vero in museo regio Berolinensi conservatur. cf. Hirt, brautschau, Berl. 1825. Avellino, op. div. II, tab. 7, p. 169. Gerhard, Berlins ant. bildw. p. 260. n. 902. Panofka, Arg. Pan. tab. 4, 2. Lénormant et de Witte, élite céramograph. I, 25. O. Müller, handb. d. arch. §. 363, 2 A.

B. eodem loco reperta rub. fig., quae nunc in Britannia extat. cf. Millingen, collect. de Coghill pl. 46. Vases from the collection of Sir Englefield, t. 19. Panof., Arg. P. t. 4, 1. Lén. él. cér. I, 26. O. Müller, denkm. d. a. k. II, 37.

[46] Quamvis dubitaveris num syringa hoc instrumentum vocare possis, tamen collata imagine, quae in vase Berolinensi (n. 1022) invenitur et Stephani. compt. rend. 1862, t. 4, 12, nihil aliud hoc esse putabis.

[47] Iynx, filia Peithûs et Panis, arte sua magica effecisse dicitur, ut Iupiter summo Ionis amore arderet. Quae simul atque Iuno rescivit, feminam sibi invisam in avem eodem nomine vocatam mutavit. cf. schol. Pind. Nem. IV, 56. Suidas s. v. *Ἴυγξ*; Phot. s. v. *Ἴυγξ*; schol. Theocr. II, 17; Niceph, schol. in Synesium de insomn. p. 360.

[48] Utraque enim coniugio praeest. Omnino vero praecipue in eis statuis quae in templis antiquitus colebantur exornandis maxima semper varietas fuit,

cum non toti Graeciae neque maiori eius parti, sed unius urbis incolis constitutae essent, qui fabulas reconditas suique proprias sequentes varia deo urbis tutori attribuebant quae alii nescirent.

[49] O. Jahn, Peitho, Greifsw. 1846 p. 15. 28. In nuncupandis figuris, quae nunquam ab omnibus deorum loco habitae, sed interdum adhibitae sunt, ut notiones affectusque exprimantur, semper quidem summa prudentia opus est, ne libere grassantes erroribus implicemur (sic, ut de Suadela dea loquar, neque quod sedere solet neque quod avem tenet certe recognosci potest, utrumque enim saepissime invenitur, ubi de illa cogitari nequit: sed, si rectam rationem sequi volumus, ea solum femina ita appellari potest, cui ipse artifex nomen ascripserit), tamen quod hic optime Suadela locum suum tenet, cum persuadere debeat Ioni, neque ulla res in ea apparet, quae aliena sit ab ea, Panofkae assentire possumus deam Veneri proximam agnoscenti.

[50] Panofka inde ab hoc diptycho progressus ut solet *πανοπτικάζει*.

[51] Conferri potest pictura parietis, ubi praesentibus Apolline Dianaque Admeto Apollinis responsum scriptum traditur, archaeol. zeitung 1863, t. 180.

[52] Panofka (p. 109, n. 1) comparat Acron. ad Hor. art. poet. v. 380, „est rota quam currendo pueri virga regunt."

Longum est omnia quae interpretes de Satyro aliisque rebus infra appositis vaticinati sunt afferre et quam perverse dicta sint demonstrare, hoc tamen moneam, quanta doctrina figulorum fuisse debet absconditas et mysticas res quas illi volunt in vasis exprimentium!

Qui primi de talibus figuris (satyris, feminis, aliis) non necessario ad scenam pertinentibus rectius disseruerunt R. Rochette (lettres archéol. 1, 132) et O. Jahnius (ann. d. inst. XX, 211) (R. Schoenio, ann. 1865 p. 159, not. haec debeo), plerumque genios locorum esse contendunt, id quod hic abnuerim, quod in fano Iunonis nullo loci deo opus erat, quamquam sententia mea haud multum ab illis diversa est. Simili modo Satyri inveniuntur prope Actaeona, cf. Lénorm. él. cér. II, 130 *A*, ubi satyrus caudam, fortasse etiam cornua habens abscedit (ut in *B*), dum alter Satyrus clavo praeditus cum Mercurio colloquitur, nisi fallor, Actaeona interfecturus (canes enim omnino absunt), id quod a fabula vulgari quidem abhorret, mihi vero verisimile est. Conferri quoque potest Dubois Maisonneuve, introduct t. 46. Welckerus (nachträge zur tril. p. 307) huius satyri (sive potius eius quem in *B* inveniemus) praesentia motus est ut ex dramate satyrico haec sumpta esse coniiceret, et quidem Chaeremonis, quam sententiam postea respuit (gr. trag. III, 1090) ratus illum *τὸν ἀναγνωστικόν* dramata satyrica non composuisse; sed quoniam alii eius coniecturam sive hac sive aliis picturis respectis postea defenderunt (cf. Lénorm. él. cér. III, p. 239 seq.), paucis de ea disserendum est. Primum animadvertendum est, tali lege constituta maximam picturarum partem permultaque ectypa ad drama satyricum referenda esse, id quod credi non potest, quoniam iam ab Euripide drama satyricum imminutum eiusque in loco tragoediam quartam actam esse constat, tum eae satyrorum figurae, et omnino omnes illae picturae quae ad theatrum

pertinent eaque quae in scena acta sunt imitari volunt, vestibus totoque habitu ita a reliquis discretae sunt, ut ignorari non possint. Id quod in eis, de quibus agitur, non invenitur.

[53] Caprea non modo saepius nobis occurret in picturis, quas mox tractaturi sumus, sed etiam alibi ubi de Diana sive de Apolline quorum comes esse solet cogitari non possit, velut arch. zeit. 1844, t. 18. cui vulgo „Paris et Tiresias" nomen inditum est, post tergum Minervae canis et paullo remotior caprea conspicitur. Hydriam vero, ubi item lustratio non intelligenda est, ap positam praebet Dubois Mais. introd. t. 46.

[54] Memorie enciclop. Roman. Rom. 1815, tom. V. p. 41.

[55] Velut Iupiter Anxur sive Iuvenis, qui in omnibus fere dactyliothecis occurrit, inprimis in gemma, cui *Νείσου* inscriptum est. cf. Schlichtegroll. pierr. grav. 20. dact. Petersb. VII, 31, 20. conferas in dactyl. Berol. III, 79. O. Müller, handb. d. a. k. §. 350, 3. denkm. d. a. k. II, 6c. 24. 25. Paus. V, 24, 1. duas Iovis statuas imberbes commemorat.

[56] Alii quidem statuam inungi putant; sed cum tales in delineando errores saepius inveniantur (vel in ipsa hac tabula dextrum crus satyri qui ex longinquo spectans intelligi debet, tam male directum est, ut ante vestem Iovis appareat), Ionem vero vivam, quae pulchritudine aequales superabat, unctio multo magis deceat quam deae imaginem mutam, de hac potius cum O. Müllero cogitaverim, praesertim cum in die nuptiali (et vere celebrantur Ionis nuptiae) unguenta semper adhiberentur, cf. O. Jahn, Peitho p. 25. Lénorm. él. cér. II. t. 49.

[57] cf. Mus. Borb. IV. 3. Zahn, wandgemälde I, 19. Müller, denkm. d. a. k. I, 44, 206. R. Rochette, mon. inéd. I, 27. O. Jahn, arch. beitr. p. 385.

[58] Possis dubitare utrum Amorem advocare velit an quasi *ἀποσκοπεύων* brachium sustulerit. Ego ut hoc statuam inprimis moveor, quod pictor satis negligens fuit ita ut manum non satis in altum erexisse putari posset. Compares Dub. Mais. intra 46, ubi satyrum melius cernendi causa brachium sustulisse satis apparet, quamvis manum non ita erexerit quam alibi fieri solet.

[59] Volunt arbore innui oleam, ad quam Argus Ionem adligaverit, id quod verum esse potest, sed comparata A ego de nemore potius cogitaverim Iunoni consecrato. Silvas enim una arbore exprimi in imaginibus frequentissimum est.

[60] Utrumque saepissime, inprimis in sarcophagis invenitur.

[61] Similiter Actaeon iam antequam a canibus dilaceretur pelle cervi cornibusque indutus est, ut statim agnosci possit. Comparari quoque potest gemma mus. Borb. quam Köhlerus edidit. (O. Jahn, Pentheus n. 14. t. I, 4. ubi Pentheus pelle leonis amictus in columna conspicitur priusquam feminae impetum in eum faciant, sed hoc non premam, quia gemmam prorsus aliter explicandam esse mihi persuasi.

[62] Extat Cataniae in museo Biscari cf. archaeol. anzeig. 1867 p. 118.* Delineatio colorque talis est, ut e figlina pessima Graeco ingenio carente prodiisse videatur.

[63] Sed ne putaveris, hanc narrationem a scriptoribus prorsus alienam esse; nam Dionysius (cf. schol. Eur. Phoen. 1116) *ἐν τῷ πρώτῳ τοῦ κύκλου βύρσαν αὐτόν ἠμφιέσθαι φησίν.*

[64] cf. Panofka, A. P, t. I. 6. Mon. ined. d. inst. II, 59, 10.

[65] Fuere qui arbitrarentur Epaphum cum matre colloquentem intelligendum esse, memores verborum Apollod. II, 1, 3. sub finem. Haec ut spernam non moveor quod Io cum Epaphum quaereret humanam iam speciem recuperaverat, nam cornua pictor addere debebat, ne de nominandis figuris incerti essemus, cf. quae de A et B disputavi, sed totus figurarum habitus non talis est ut matris cum filio reperto colloquentis ratio haberi possit, id quod Panofka iam intellexit. Item apertum est, Braunium errasse, cum de Ione post caedem Argi cum Mercurio colloquente cogitaret.

[66] cf. Ann. dell' inst. 1838 p. 328. Mon. ined. II, 59. 7. Lippert dact. I, 49. 50. Dact. Danic. 753. Müller, denkm. d. a. k. II, 38. dact. Petersb. V, 20, 8. Cades, impronte gemm. 111. Ei quae apud Panofkam I, 2 picta est simillima est Dact. Thorwalds. 1155, nec non 1371 ei quam Panofk. I, 5. proposuit.

[68] Quae quamvis Volcis reperta sit tamen propter colorem figurarum et omnino delineationem eis simillima est, quae in Magna Graecia inveniuntur. cf. Gerhard. rapport. volc. p. 39, n. 250; Berlins a. bildw. n. 1954; Mon. ined. II, 59, 1; Bullet. 1836, 171; ann. 1838. p. 328. n. 1. Lénorm. él. cér. I, p. 49. Panofka A. P. p. 122. Lénormant III. p. 266 figuras nigras esse contendit, quas antea I, p. 49 rubras dixerat, quales vere sunt. Idem Braunius (ann. 1838 p. 328) peccavit.

[69] Gerhardius, cuius interpretatio a nostra non diversa est, cornua non commemorat, quae etsi primum aspectum fugere possunt, crinibus enim incompositis paene teguntur, tamen vere extant. Item in imagine mon. ined. II, 59, 1 cornua frustra quaeras.

[70] cf. Panofka t. V. Mon. ined. II, 59, 8. Lènorm. él. cér. III, 99. O. Jahn, vasensammlung n. 573.

[71] Quamquam in imaginibus inde expressis oculus in pectore non conspicitur, Jahnius diserte hunc extare affirmat. de cornu, quod in fronte apparet, quoniam Iahnius tacet, ego quoque hoc omittendum esse ratus sum. Lénormant qui risum monstri se cognosse opinatus est, ex dramate satyrico imaginem sumptam vult.

[72] Archaeol. anz. 1867, p. 118.*

[73] Paus. VII, 24, 2.

[74] Mus. Borb. VIII, 25. Panofka A. P. t. 2, 1. Mon. ined. II, 59, 6 Zahn, die schönsten ornam. II, 83.

[75] Panofka A. P. p. 91. de soleis loquitur, cum de peronibus qui funiculis continentur dubitari non possit.

[76] Ovid. met. I, 686. „namque reperta fistula nuper erat."

[77] cf. Apollod. II, 1, 3 etc.

[78] Mus. Borb. XI, 23. mon. ined. II, 59, 3.

[79] Extat in dactyliotheca viri Currié nominati. Panofka A. P. t. II. 2. mon. ined. II, 59, 2. Cades impr. gem. 112.

[80] Ann. dell' inst. 1865. p. 147—159. tav. d'aggiunt. IK. Vas Caerite repertum nunc extat Romae apud Castellani.

[81] Bull. dell' inst. arch. 1840, 4. arch. zeitung 1847. t. 2. Lénormant él. cér. II. 98.

[82] Obiter commemoraverim Gerhardium, quod hic et alibi Io sive vacca sive femina cornigera uno solum cornu praedita est, nempe ubi a parte, fronte non adversa, spectatur, multum vaticinatum esse de vi unius cornu (arch. zeit. 1847. p. 19), quod commemorasse sat erit.

[83] cf. Panofka A. P. t III, 2. mon. ined. II, 59, 5. él. cér. III. p. 236. t. 100. Gerhard, auserlesene vasenb. II, t. 116.

[84] cf. Müller, denkm. d. a. k. II, 195.

[85] Quae cum ita sint, quis malit cum Lénormantio literas illas quinque ad tertium virum referre, scilicet ut Panopeus intelligatur, heros Phocensium? quasi Argus in terra Phocensium iugulatus sit!

[86] arch. zeit. 1861. t. 149, 2.

[87] Dub. Mais. intr. t. 9. Ann. dell' inst. 1865, t. O.

[88] Rev. archéol. III. (1846) p. 310. recte Schoenius contendit, ibi idem vas significari, quod iam Jahnius (bull. 1839, p. 21) descripsit.

[89] Vas in Apulia repertum extat apud Baronium, cf. Avellino, bullet. Napol. III. p. 73. t. 4. Rev. archéol. III. p, 308.

[90] Ann. 1838, p. 253 (Gargallo Grimaldi); p. 312 (P. Secchi); Bull. Napol. III, p. 22 (Avellino). p. 42 (Minervini). Mon. ined. II, 59. Inghirami, vasi fitt. IV, 100. Lén. él. cér. III, 101.

[91] Saepissime scuti loco circa brachium contorta adhibetur, inprimis a Mercurio, cf. Nonius s. v. clipeat. (Pacuv.) „chlamyde contorta clupeat brachium." Pollux V, 18.

[92] Pellem tauri varii intelligunt. id quod ex forma unguium fortasse probari potest. Dicitur enim (Apoll. II, 1, 2) Argus heros Argivorum taurum ferocem monstrum Arcadiae enecasse eiusque pellem induisse, satyrumque damnum armentorum et Echidnam sustulisse.

[93] Possis de Victoria alis carente cogitare; id quod tamen valde incertum.

[94] Restat ut paucis quos adhuc omisi errores interpretum commemorem. Lénormant maxime studens, ut quam plurima ex satyricis dramatis derivaret, etiam hic satyros chori loco appositos esse arbitratus est. Et quidem hos Mercurio favere donis eius (leporem innuit) corruptos. Mercurium enim satyris ut se adiuvent persuadentem in alia imagine inveniri (él. cér. III, 90; sed neglexit non modo maximam delineationis diversitatem, quae inter hanc et O intercedit, sed etiam satyros ibi pedibus equinis formatos esse), Praeterea contendit deum praeter gladium etiam lapide se instruxisse, quo Argum interficeret, Ionisque aures ferinas ex dramate satyrico deducendas esse. Haec satis-

faciant. ceterum addo, aures ferinas, quibus Io instructa est quo magis ferarum ex modo formata videretur, etiam aliis additas esse, cf. Lénorm. él. cér. I. pl. 47.

[95] Panofka A. P. III, 1. mon. ined. II, 59, 9. Lippert I, 322. Cades, impr. gemm. 113.

[96] Mus. Borb. X, 2. Zahn, die schönsten orn. III, 8.

[97] Nonnulli voluerunt Isidem recognoscere, sed Isidem ab Iside recipi quis credat?

[98] Extat in museo Worsleyano. cf. Visconti, museo Worsleyano, Milano 1834 t. 20. n. 34. p. 93. Panofka A. P. t. I, 7. mon ined. II, 59. 4. ubi tamen soleae non pictae sunt. Cades, impr. gemm. 114.

[99] Tzetzes ad Lycoptr. 835.

[100] Spero eos qui antea cum picturam Pompeianam (cf. p. 17) ad Ionis fabulam referre nollem, non ex omnibus partibus consenserunt, nunc me recte censuisse putaturos esse. Ad alias enim supra allatas causas ea accedit, quod in reliquis picturis parietum huc pertinentibus Io vacca non invenitur.

[101] Herod. II, 41.

[102] Reperta 1756 in praedio ducis de Bracciano postea a comite Poniatowski emta est, nunc vero Florentiae extat. cf. Bracci gem. II, p. 51, t. 63. Visconti, op. var. II, 123. Brunn, gesch. d. gr. künstl. II, p. 488. Memorie d. inst. II, 60.

[103] Lippert dact. X, 864 et 865. dact. Petersb. V, 20, 9. quid sibi velit Lippertus dicens sub collo addita esse „pananierblätter" non intelligo.

[104] cf. Preller, gr. myth. II, 123.

[105] delle antichità di Ercolano, vol. I, bronzi, p. 3.

[106] Arch. Anz. 1864, p. 218.*

[107] E. Gerhard, Myken. alterth., progr. z. Wink. 1850.

[108] Veniam peto, quod ubi haec conspexerim, invenire non possum.

[109] cf. arch. anz. 1848, 98,* 4.

[110] Bröndsted, voyages en Grèce, II, p. 133. 295.

[111] arch. anz. 1848. p. 102.*

[112] n. 8, Gerhardius (myk. altert. p. 6, n. 23) hanc testam commemoravit, sed alium numerum (169) attulit, qui inventarii est.

[113] Creuzer, symbol. (ed. III.) II, p. 300, n. 3. Pellerin lettres de l'auteur des récueils de médailles, Paris 1770 II, pl. 2. p. 170. Stark, Gaza p. 585.

[114] Paus. I, 25, 1. Welcker, Aeschyl. tril. p. 128.

[115] Fortasse basis in arce Athenarum reperta, in qua legitur *ΜΕΤΡΟΤΙΜΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕ ΟΠΘΕ ΔΕΙΝΟΜΕΝΗΣ ΕΠΟΙΗΣΕ* ad hanc statuam referenda est.

[116] Demetr. Phaler. *περὶ ἑρμην.* 76.

VITA.

Natus sum Richardus Engelmann id. Dec. a. 1844 Nebrae in oppido Saxo-Thuringiae a patre Franzio, et matre Emma e gente Stuetzeriana, qui quod superstites sunt valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Elementis literarum domi imbutus ineunte hieme a. 1857 Portam missus sum, quae schola clarissima tum rectore Petero, Steinharto, Kobersteinio, Keilio, Corssenio docentibus maxime florebat. Postquam ibi per sex annos et dimidium commoratus sum, ineunte vere a. 1864 maturitatis testimonio instructus Halam adii, ubi philologiae et archaeologiae studerem. Mox vero post tria semenstria Berolinum migravi. Viris quorum scholas seu Halae seu Berolini frequentavi, Bergkio, Bernhardyo, Conzio, Heinio, Lucaeo, Schallero, Zachero, Boekhio, Friederichsio, Gerhardio, Hauptio, Huebnero, Jafféio, Mommsenio, Trendelenburgio maximas gratias ago. Peractis sex semenstribus nomen professus sum apud eos qui Halae examina regunt, a quibus exeunte anno 1867 facultatem docendi nactus sum. Tum mense Ianuario a. h. Berolinum redux seminarii regii sodalis factus simul in id incubui, ut dissertationem archaeologicam componerem, quam nunc Tibi praebeo.

THESES.

I. Triptolemum alatum Wieselerus sibi finxit.

II. Duos Clearchos statuendos esse censeo.

III. Gemma musei Worsleyani (Panofka Argos Panoptes tab. I, 7.) non antiqua est.

IV. Prometheum tragoediam ultimam Aeschylearum quae extant esse contendo.

V. Soph. Oed. Col. v. 1499. pro *σπεῦσον, ἄϊσσ᾽ ὦναξ* scribendum est *ᾆσσον ἄϊσσ᾽ ὦναξ.*

VI. Vellej. Paterc. II, 23, 6 loco verborum quae ed. princ. habet: p a r e n t e m a n t e o m n i a, deleto a n t e, legendum est: p a r e n t e m o m n i a.